

PONTIFICIUM CONSILIUM
DE LEGUM TEXTIBUS

COMMUNICATIONES

VOL. XXXVIII - N. 2

2006

COMMUNICATIONES

PONTIFICIUM CONSILIUM
DE LEGUM TEXTIBUS

Piazza Pio XII, 10 - 00193 Roma

N. 2

Semestrale

DECEMBRI 2006

Sped. Abb. Postale - 50% Roma

EX ACTIS BENEDICTI PP. XVI

Litterae Summi Pontificis ad eos qui sessioni plenariae Congregationis de Causis Sanctorum interfuerunt	163
Allocutio Summi Pontificis ad eos qui convenerunt ad V Congressum Internationalem Ordinariatum Castrensum, coram admissos in Sala Clementina die 26 octobris 2006	166

EX ACTIS CONSILII

LITTERAE circulares missae omnibus Conferentiis episcopalibus (variis linguis exaratae), quoad verba « <i>actus formalis defectionis ab Ecclesia catholica</i> » (Cann. 1086, § 1, 1117 e 1124 CIC) et quaedam epistulae respicientes ipsarum litterarum	170
QUAESTIONES QUAEDAM STUDIO PONTIFICII CONSILII SUBMISSAE	190
RELATIONES CUM IURIS CANONICI STUDIOSIS	191
ALLOCUTIO Em.mi Praesidis occasione Congressus Episcoporum novorum, a Congregatione pro Episcopis parati, die 26 septembbris 2006 habita	192

EX ACTIS PONTIFICIAE COMMISSIONIS CODICI IURIS CANONICI RECOGNOSCENDO

Coetus studiorum «De Processibus» (Sessio IV)	222
Coetus studiorum «De Processibus» (Sessio V)	272
NOTITIAE	308
OPERA A CONSILII BIBLIOTHECA RECEPTA	309
INDEX RERUM GENERALIS	310

Ex Actis Pont. Comm. Recognoscendo

COETUS STUDII «DE PROCESSIBUS»

Sessio IV^a

(diebus 12-17 februarii 1968 habita)

Diebus 12 ad 17 februarii 1968, in Aula sedis Commissionis Codici Iuris Canonici recognoscendo convenerunt Consultores designati ut membra Coetus Studiorum ad recognoscendas normas Codicis I.C. « De processibus ».

Conventui intererant Exc.mi DD.: Aurelius Sabattani, Relator, Ioannes Kaldany; Ill.mi ac Rev.mi Carolus Lefebvre, Iosephus Damizia, Iosephus Pinto, Stephanus Kelleher, Georgius Bateh, Iosephus de Castro Nery et Ioannes Barry; Rev.mus P. Christophorus Berutti O.P., necnon Rev.mus P. Raimundus Bidagor S.J., Secretarius Commissionis et Rev.dus Franciscus Voto, actuarius.

I^a, VIII^a et IX^a adunationi praefuit Em.mus Card. Pericles Felici, Praeses Commissionis, ceteris adunationibus autem praefuit Rev.mus Bidagor.

Quaestiones a Secretaria Commissionis propositae erant sequentes:


- 1) De prosequendo examine canonum huius libri iuxta methodum hucusque adhibitam;
- 2) De probationibus.

Omnis Consultores votum de propositis quaestionibus paraverunt. Etiam Rev.mus Regatillo, qui conventui interesse non potuit, votum suum Secretariae miserat.

De his votis Rev.mus Relator relationem scripto apparavit, manifestando sententias Consultorum et suam quoque sententiam circa singulas quaestiones.¹

¹ Circa quaestionem praeiudicialem de prosequendo examine canonum huius libri, iuxta methodum hucusque adhibitam, discussio iam delibata est in praecedenti Sessione (cfr. Relationem Sess. III^a, *Communicationes XXXVIII* [2006], 119 nota 1).

Em.mus Praeses tamen voluit ut de re profundius inquireretur ut amplior inde discussio fieret in praesenti Sessione. Circa hanc specialem quaestionem munere Relatoris functus est Rev.mus Secretarius, Secretarius Generalis Commissionis.



Adunatio I^a
die 12 februarii 1968 mane habita

Em.mus Cardinalis Praeses salutem dicit omnibus Consultoribus et petit a Rev.mo Bidagor, Secretario Commissionis, ut proponat primam quaestionem examinandam, nempe prosequendum sit necne examen canonum huius libri iuxta methodum hucusque adhibitam.

Rev.mus Secretarius resumit statum quaestioonis iam motae ab Rev.mis primo et secundo Consultoribus in Sessione praecedenti² et longe lateque a singulis Consultoribus in suis votis pertractatae.

Animadvertisit Rev.mos primum et secundum Consultores tantum tertiae Sessioni laboris huius Coetus interfuisse, quia antea nondum electi fuerant ad munus Consultorum a Summo Pontifice, ideoque legitime de methodo laboris in eadem Sessione mentionem fecisse. Methodus hucusque adhibita, iuxta eorum sententiam, afficit revisionem «litteralem» CIC, cuius exitus erit recognitio formalis non autem substantialis ipsius CIC; quod quidem minime respondit *Principiis quae Codicis Iuris Canonici recognitionem dirigant*,³ neque spiritui Concilii Vaticanii II.

Ad quaestiones hucusque examinatas quod attinet, Rev.mi primus et secundus Consultores contendunt adesse defectum quandam accommodacionis realitatibus praesentis ordinis rerum et condicionum hominum. Ideoque asserunt «novum ordinem iudiciarium vehementer optari» et proinde superfluum esse opus de recognoscendo iure processuali nunc vigenti, uti hucusque peractum est. Potius incipiendum est a normis statuendis de variis categoriis — non dicunt «speciebus» — processus, scilicet de processibus nullitatis matrimonii, dispensationis a matrimonio rato et non consummato, ordinationis, a processu poenali, contentioso, administrativo, quos putant «substantialiter inter se differre». Tantummodo postea petunt tractandum esse de normis generalioribus processualibus, quae «paucae» determinandae sunt, et tollunt quae antiquata sunt (ex. gr. iudicem collegialem, contumaciam), aut adhuc nimium momentum agnoscent institutionibus cum detimento iurium personalium. Normae autem particulares relinquunt statuendae iuribus particularibus.

His dictis, Rev.mus Secretarius animadvertisit fundamentum plurium eorum, quae a Rev.mis primo et secundo Consultoribus prolata sunt, forte inveniri in consideratione diversa quaestionum propositarum, secundum regiones unde procedunt illarum auctores. Ipsi enim vivunt in locis ubi

² Cfr. Relationem III^æ Sessionis, *Communicationes* XXXVIII (2006), 119, nota 1.

³ Cfr. *Communicationes* I (1969), 77-85.

praevalet sistema anglosaxonicum certo differens a sistema iuridico quod traditionaliter in Ecclesia viguit. Ad methodum autem quod attinet, magis procedit a consideratione praxis quam systematica expositione. Quoniam autem nemo Consultorum est qui postulet arctam uniformitatem iuris canonici Ecclesiae sed tantum unitatem — quae bene componi potest cum variis exigentiis singularum regionum — eo ipso apparet laudabilem rationem, ob quam Rev.mi primus et secundus Consultores suas animadversiones fecerunt, minime neglectum iri in laboribus nostri Coetus.

Deinde Em.mus Praeses petit a singulis Consultoribus ut suam mentem aperiant.

Sequentes sententiae a Consultoribus prolatae sunt:

1) Praesuppositum voti statim incipiendi a variis categoriis processuum, priusquam tractetur de normis generalibus, videtur esse diversitas substantialis quam Rev.mi primus et secundus Consultores asserunt inter varias categorias processuum adesse.

Iamvero hoc praesuppositum non videtur admitti posse. Adsunt sane diversitates inter varios modos procedendi, at hae diversitates sunt accidentales, promanantes a diverso fine uniuscuiusque processus. Generalis autem compositio processus, seu ordo iudicarius, uti constat etiam ex historica evolutione, omnino eadem est. Ita in omnibus processibus adsunt petitio, citatio, dubii determinatio, interrogations partium et testium, documentorum productio, etc.

Etiam Status civiles moderni habent suum Codicem procedurae civilis quae habetur uti fundamentum pro causis matrimonialibus etsi istae causae reguntur aliquibus normis peculiaribus.

Ideoque normae generales de processibus praeponendae sunt, antequam de variis categoriis processuum agatur, ne deinde quamplura in singulis Sectionibus iterari debeant.

Ratio quoque theorica accedit. Indoles enim iuridica Codicis, quae necessario involvit rationem scientificam, vetat ut construantur distinctae species processuales, quae in aliquo fundamentali genere non convenient. Reaperte scientiae morales — inter quas et ius — operantur per deductiōnem, seu a generali ad particulare et non vicissim (Rev.mi Relator, tertius, quartus, quintus, sextus et septimus Consultores).

2) De ordine iudicario totaliter novo instaurando, ut petunt Rev.mi primus et secundus Consultores, iuxta spiritum, ipsi dicunt, Concilii Vaticani II atque iuxta *Principia quae CIC recognitionem dirigant*, animadverendum est Concilium postulasse «harmoniam instituendam esse inter *vetera* quae inveniuntur in Ecclesia aut quae non sine momento se manife-

starunt decursu saeculorum» et *nova* requisita a nostris temporibus.⁴ Ipse Summus Pontifex, in sua allocutione diei 20 nov. 1965 clare edixit fundatum revisionis esse Codicem cum mutationibus inductis a Concilio.

Quod autem attinet ad *Principia quae CIC recognitionem dirigant* sufficit recolere quae in n. 5 de iure processuali⁵ dicuntur ut clare appareat quae immutari possint vel debeant et quae immutari nequeant (Rev.mi Relator, quartus, quintus, sextus et septimus Consultores).

3) Circa defectum accommodationis realitatibus praesentis ordinis rerum et condicionum hominum, Consultores concedunt nonnulla instituta esse antiqua, sed negant exinde omnia immutanda esse (Rev.mus quartus Consultor). Etsi in aliquibus dubitari potest num in laboribus hucusque perfectis nova et vetera sufficienter composita sint (Rev.mus septimus Consultor), tamen nemo negare potest immutationes aliquas gravis momenti inducitas esse (ex. gr. circa tribunalia regionalia, circa secundam instantiam, circa Procuratores, etc.) (Rev.mus Relator). Ideoque labor semper meliorari potest et debet et in tali linea conari debemus ut introducantur in novum Codicem aliqua ex modo agendi in iure anglosaxonico (Rev.mi tertius et sextus Consultores). Tamen animadvertere oportet innovationes, in novo codice inducendas, pertinere potius ad ius substantivum, quam ad ius processuale, quod est veluti adiectivum et instrumentale (Rev.mi Relator et sextus Consultor).

4) Ex dictis iam appareat principium subsidiarietatis magna cum cautela applicari posse in iure processuali eo quod «ob primatum Romani Pontificis integrum est cuilibet fideli in toto orbe catholico causam suam in quovis iudicii gradu vel in quovis litis statu cognoscendam ad Sedem Apostolicam deferre. In comperto est ad iustitiae administrationem necessarium esse in diversis gradibus unitariam quamdam organizationem iustitiae servare; sine qua occasio vel ansa daretur incertitudini iudiciorum aut fraudibus aliisque incommodis bene multis aut (difficultas poneretur) illorum expeditioni ad Sedem Apostolicam»⁶ (Rev.mi quartus et sextus Consultores).

5) Ecclesia ut societas perfecta et iuridica, pro solutione quaestionum iuridicarum, suum proprium ius processuale habere debet. Absonum omnino esset si Ecclesia non posset solvere aliquam causam, quia deficeret ius

⁴ Cfr. Relationem Em.mi Card. Felici die 30 sept. 1967 in Synodo Episcoporum habitam, *Communicationes I* (1969) 86-91.

⁵ *Principia quae CIC recognitionem dirigant*, n. 5, *Communicationes I* (1969) 80-82, praesertim 81-82.

⁶ *Principia quae CIC recognitionem dirigant*, n. 5, *Communicationes I* (1969) 80-82, praesertim 82.

processuale. Hoc in casu iniuriam suis membris inferret (Rev.mi tertius, quintus et octavus Consultores).

Praeterea Ecclesia Catholica, proponendo proprium ius processuale, suam potestatem magisterii adimpleret, quatenus omnibus potestatibus civilibus principia processualia fundamentalia ad normam legis naturalis et evangelicae praebet, ita ut et ipsae ea sequi possint. Ita historia docet quam multum Ecclesia in ius civile processuale influxerit (Rev.mus quintus Consultor).

6) Sectio de processibus in genere retineri debet, quia, si completa tela iudicaria numquam daretur, non sequeretur in magistratibus *mens iudicaria* et ideo adasset periculum habendi iudices et superiores iniustos (Rev.mus Relator). Tantum enim iudices qui profunde et dilucide totam theoriam processualem cognoscunt, habita etiam ratione condicionis vitae humanae, perspicuum processum instruere valent (Rev.mus quintus Consultor).

7) Ratio practica accedit ne actuale examen Libri IV interrumpatur. Studium canonum hucusque peractum iam partem non exiguum Libri IV complectitur. Melius erit studium incepturn prosequi usque ad finem (Rev.mi octavus et sextus Consultores).

8) Labor a nobis iam peractus denuo revidendus est, sub luce *Principiorum* examini Synodi Episcoporum subiectorum, et usque in finem prosequendus (Rev.mus nonus Consultor).

9) De methodo qua Coetus usus est vel uti debet hae sententiae profertuntur:

a) methodus hucusque secura dici potest analyticus, quae canones subiicit examini, ita ut consequi possit visio completa systematis libri de processibus. Talis visio completa canonum videtur necessaria antequam cogitari queat de aliqua synthesis conficienda (Rev.mus octavus Consultor).

b) Consultores, cum mature *Principia quae CIC recognitionem dirigant* perpendent, revisionis laborem deinde aggressi, semper procedere debent incipiendo a quaestionibus generalibus et progrediendo usque ad magis particulares, nullo vero modo canonem per canonem recognoscendo. Unde in primis diversos procedendi modos (iudiciale, sive contentiosum sive criminale, sive solemnem, sive summarium, tum etiam administrativum, sive generale sive speciale) bene determinare debent, ut deinde elementa eorum essentialia vel integrantia apte regulentur. Sequi debemus methodum syntheticam magis quam analyticam (Rev.mus nonus Consultor).

c) Nos indigemus schemate generali normarum de processibus quod mittere debemus Conferentiis Episcoporum. Nisi hoc fiet, numquam con-

crete Conferentiae Episcoporum dabunt nobis suas suggestiones. Post hoc, nullum dubium esse potest quin accuratissima de causis matrimonialibus in speciali Sectione pertractatio fieri debeat, clare ac definite determinando quandonam et quomodo processus iudicialis et administrativus instruatur oporteat. Item in Sectionibus specialibus pertractatio plenior et magis accommodata facienda est de processibus tum ad personarum physicarum vel moralium iura persequenda vel vindicanda, tum contra sacram ordinationem, tum quoad remotionem vel translationem parochorum tum quoad dimissionem religiosorum. Pariter normae particulares statuendae sunt pro processu criminali et pro processibus beatificationis et canonizationis (Rev.mus septimus Consultor).

Post has animadversiones Em.mus Praeses petit ab Rev.mis primo et secundo Consultoribus ut dicant suam mentem.

Rev.mi primus et secundus Consultores sequentes sententias exprimunt:

a) Rectum non est dicere simpliciter quod nequimus considerare normas generales ante leges particulares perpensas. Certe, in quolibet iudicio, saltem considerari debet petitio, vocatio in iudicium, contestatio litis, interrogatio partium et testium, probationes, decisio, remedia contra decisionem. Quaestio autem haec est: quoisque specificatio horum punctorum fundamentalium possint esse normae generales? Censeo quod, pro maiore parte, specificatio horum fundamentalium punctorum elaboranda est in tractatione processuum specificorum legis vel universalis vel regionalis vel localis. Exempli gratia, adest norma generalis de contestatione litis. Natura autem contestationis saepe variabit secundum naturam processus specifici et etiam variare potest secundum locum (Rev.mus primus Consultor).

b) Antequam discussio haec fieret, nobis persuasum erat mentem huius Coetus esse de conficiendis normis generalibus quae omnibus categoriis processuum applicari deberent. Cum autem haec suspicio dissipata sit, non est cur adhuc instemus in quaestionibus de methodo (Rev.mus secundus Consultor).

c) Praeter quaestionem de methodo, aliae oriuntur quaestiones magni momenti in hac materia:

1) Recognitio nostra Libri IV Codicis hoc primo defectu laborat, quod incepta est antequam in lucem edita sint *Principia quae Codicis Iuris Canonici recognitionem dirigant*.

2) Post factum, igitur, quaeri licet, immo debet, num reapse recognitio hucusque facta ab his *Principiis* dirigatur. Et saltem sub diversis aspectibus respondendum est *negative*.

Principia enim pag. 12 nonnulla exponunt de conflictu inter conceptum decentralizationis iuris processualis, a multis propugnatum, et necessitatem organizationis cuiusdam unitariae iustitiae propter primatum Romani Pontificis.

Nos vero hoc problema fundamentale, ni fallor, nullatenus aggressi sumus.

Exinde *Principia* loquuntur de ampliore atque generaliore forma quam inducere debet ius processuale novi Codicis.

Nos vero nullo modo determinare conati sumus ambitum iuris processualis Codicis relate ad ius particulare uniuscuiusque nationis vel communitatis ethnicae.

Nisi solutionem horum problematum studio nostro deduxerimus, nihil possumus dicere de materia ipsius iuris tum generalis tum particularis. Nihil enim possumus dicere in specie de iure, nisi antea problemata generalia determinavimus.

3) Opus Consultorum est uti peritia qua pollent in studio iuris recognoscendi in luce necessitatum Ecclesiae. At haec peritia, licet plerumque eximia, manet tantummodo personalis, individua, ac proinde imperfecta. Debet perfici per recursum ad Ecclesiam universalem, ut clare nobis pateat quid ipsa Ecclesia velit, quid Ecclesia proponat. Hoc autem fit quaerendo quid de recognitione iuris tam in genere quam in specie sentiat Ecclesia universalis. Quod non est difficile, nam multi sunt in Ecclesia, nempe Conferentiae episcopales, individui Episcopi, societas iuris canonici per loca, individui canonistae sententiam suam manifestaverunt hac de re in votis missis ad Sanctam Sedem.

Haec autem vota sunt media necessaria, immo indispensabilia nostri studii. Ni fallor, in hac ipsa aede colliguntur. Sed nobis nota facta non sunt.

Quaeri licet cur nobis lateant. Hoc ipso nobis negatur medium necessarium nostri laboris. Praeterea, ut honeste loquar, ansa hoc ipso praebetur suspicionibus iam hinc inde auditis, quod hoc fit consulto, ne fiat revisio completa et radicalia iuris, quae minus placeret nonnullis in hac ipsa Urbe. Nobis ergo pandere debent ut suspiciones refellantur et ad nostrum laborem facilitandum (Rev.mus secundus Consultor).

Rev.mus Secretarius respondit Rev.mo secundo Consultori circa hanc ultimam partem, in qua videtur innui Secretariam Commissionis non habuisse debitam diligentiam ad praebendum Consultoribus vota Conferentiarum Episcoporum et Societatum Iuris Canonici.

a) Ad Conferentias episcopales quod attinet dicendum est ipsas, iussu Summi Pontificis, rogatas esse a nostra Commissione, inde a mense ianuario 1966, ut suggestiones de recognoscendo Codice nobiscum communicarent. Sed, proh dolor!, responsiones usque adhuc paucissimae pervenerunt. Sugge-

stiones factae autem saepe saepius vertunt circa talem vel talem quaestionem, quin praebant conspectum aliquem organicum circa totam materiam Codicis. Nec mirandum est, quia facile argui potest Conferentias episcopales preferre schemata a Consultoribus apparata ut deinde suas suggestiones facere possint.

b) Ad Societas Iuris Canonici quod attinet, sigillatim de ipsis hoc dici potest:

- *Societas Iuris Canonici Galliae*: rogavimus eius Praesidem ut nobis mitteret vota Societatis, sed nihil recepimus.
- *Societas Angliae*: numquam nobiscum communicatum est.
- *Societas U.S.A.*: Alicui ipsum conventui interfuit Ill.mus Onclin, Secretarius Adjunctus nostrae Commissionis, qui oretenus deinde nobis rettulit aliquid de illo Coetu. Sed numquam Societas nobis misit acta sessionum laborum ab ipsa peractorum.

Ex dictis patet Secretariam Commissionis non posse accusari de negligencia in praebendis Consultoribus «instrumentis» ad labores perficiendos.

Deinde loquitur Em.mus Praeses, qui dicit assentiendum esse maioritati Consultorum qui nolunt interrumpere actuale examen Libri IV de processibus. Agitur enim de enucleandis principiis quibus regitur processus canonicus, quo opere peracto, saltem tres sequentes fines persequentur:

- a) Omnibus praebetur in Ecclesia modus defendendi sua iura subjectiva, quin locus detur arbitrio eorum qui praeasunt.
- b) Principia iuris naturalis in materia processuali recensentur, quo fit ut Ecclesia suum magisterium explicet erga iura processualia civilia.
- c) Progressus facimus (et conari debemus ut faciamus) in scientia processuali canonica, quin maneamus in statu empiricae observationis rerum societatis.

Quoad suggestionem Rev.mi noni Consultoris, ut nempe methodo synthetica procedatur, Em.mus Praeses dicit procedendum esse methodo et analytica et synthetica.

Quoad alias suggestiones Rev.morum primi et secundi Consultorum, Em.mus Praeses dicit illas a Coetu magni faciendas esse, praesertim ad decentralizationem quod attinet. Consultores bene perpendant quoad singula instituta quid remitti possit iuribus particularibus. Consultores praeterea bene attendant ut novum ius adhaereat exigentiis nostri temporis et rectas semitas Pastoribus praebeat ad oves pascendas.

Alacri animo ergo oportet labores nostros prosequi, secundum germanum sensum Concilii Vaticani II.

Adunatio II^a
die 12 februarii 1968 vespere habita

Consultores incipiunt examen quaestionum de probationibus de quibus in canonibus 1747-1836 Codicis I.C.

Rev.mus Relator animadvertisit quod iuxta placita Consultorum, in praecedenti Sessione expressa, de recipienda scilicet divisione inducta in Codicem Orientalem, inscriptio materiae de probationibus ita debet esse:

Caput V *De probationibus.*

Omnes Consultones consentiunt cum Rev.mo Relatore.

Rev.mus octavus Consultor alias quaestiones praeiudiciales movet:

a) De methodo probationum. Onus probationum incumbere debeatne tantum partibus, an facultas tribui possit iudici processum dirigendi et, proinde, deficientiae probationum a partibus adductarum supplendi?

b) De definitione probationis. Definitio probationis, etsi exemplificativa, valde opportuna esset ita ut iudex, etiam ex officio et sine periculo suspicionis, eliminare posset allegationes partium quae ad rem non pertinent.

c) De systemate probationum expediendo. Systema canonicum de probationibus — quoad modum inducendi testes — nimis implicatum videtur et processum protrahit sine vera necessitate. Cur non conceditur partibus facultas adducendi testes cum ipsa contestatione litis, omissis omnibus praescriptiobibus de communicatione nominum testium parti adversae, de reprobatione... Ad iusurandum quod attinet, melius esset illud non praestare vel deferre, nisi in casibus a iure determinatis, praesertim in causis matrimonialibus.

d) De «systemate aperto» instituendo. Optandum est ut in excussione testium, partes in causa eorumque procuratores vel advocati assistere vel adesse possint necnon contradicere. Hoc modo celerius terminatur processus et melius consulitur administrationi iustitiae.

Rev.mus Secretarius concedit quaestiones motas a Rev.mo octavo Consultore perpendendas esse, sed, dicit, id fieri posse cum de singulis quaestionibus agetur, quin de ipsis discussiones veluti praeiudiciales instituantur.

Examinantur ergo singuli canones CIC.

Can. 1747.

Rev.mi quintus, sextus, nonus et septimus Consultores proponunt suppressionem referentiae ad can. 2197, quae invenitur in n. 1° (facta notoria, ad normam can. 2197...). Talis suppressio iam facta est in Codice Orientali (can. 269).

Suppressio referentiae ad can. 2197 omnibus placet.

Rev.mus septimus Consultor tamen proponit ut referentia ad can. 2197 (quae suppressa est quia notio delicti notori plane aptari nequit ad factum notorum designandum) substituatur per haec verba: «(Facta notoria) de quibus scilicet iam lata sit sententia iudicis competentis, quae in rem iudicatam transierit, aut de quibus alterutra pars contendens iam confessionem deliberate fecerit in iudicio».

Propositio Rev.mi septimi Consultoris non placet cum tales explicaciones demandandae sint ad Tit. «de verborum significatione».

Neque placet Consultoribus additio quam proponit Rev.mus sextus Consultor (Facta notoria, *nisi ipsa notorietas impugnetur*) quia evidens, ideoque superflua censetur.

Tandem Rev.mus nonus Consultor proponit ut n. 4º addatur, in qua edicatur non indigere probatione «experientiae regulae seu sententiae», seu principia generalia (non facta) ex experientia deducta, quarum cognitio in omnibus qui ad categoriam socialem iudicis pertinent, merito supponitur cum ingrediantur in cultura normali illius determinati circuli socialis.

Rev.mus Secretarius censet propositionem Rev.mi noni Consultoris aliquam confusionem ingerere in iure. Utique in moralibus sequi possumus sententiam probatorum auctorum, at, si propositio Rev.mi noni Consultoris reciperetur, idem esset ac dicere in processu canonico sententias probatorum auctorum non indigere probatione.

Rev.mus septimus Consultor animadvertisit hic agi de probationibus quas actor praebere debet in ordine ad causam discutiendam. Non appareat ergo quomodo in tali contextu recipi possit propositio Rev.mi noni Consultoris.

Rev.mus secundus Consultor censet propositionem Rev.mi noni Consultoris importare saltem hoc quod nempe experientiae regulae, profluente ex iurisprudentia unanimi, non indigent demonstratione. Si ita est, Rev.mus secundus Consultor favet propositioni Rev.mi noni Consultoris.

Rev.mus Secretarius, ad suggestionem Rev.mi secundi Consultoris sese referens, dicit tale propositum penitus repugnare progressui iurisprudentiae.

Rev.mus octavus Consultor censet propositionem Rev.mi noni Consultoris practice, in casu, fovere arbitrium iudicis.

Fit suffragatio placeatne propositio Rev.mi noni Consultoris.

Placet n. 1; non placet n. 9.

Canon 1747 ergo manet prout est, suppressa tamen referentia ad can. 2197.

Can. 1748, § 1

Rev.mus quartus Consultor, ex Ciprotti,⁷ proponit ut § 1 ita compleatur:

«Onus probandi incumbit ei qui asserit, *firma praescriptio canonis* 1619».

Suffragatur propositio Rev.mi quarti Consultoris:

Placet n. 8; non placet n. 1; se abstinet a sententia ferenda n. 1.

Aliam additionem proponit Rev.mus sextus Consultor, ut dicatur nempe:
«... nisi negatio sit ipsum fundamentum actionis».

Rev.mus Relator, etsi probet finem intentum a proponente, qui respondit regulae Decretalium « Negantis factum per rerum naturam nulla est directa probatio » censem tamen propositionem recipi non posse quia datur etiam probatio *indirecta*, quae quandoque potest esse plenissima, v. gr. de inconsuhammeratione matrimonii et quia praescritum huius paragraphi refertur tam ad actorem quam ad conventum et est regula ita generalis et necessaria quae enuntiari debet ne quis opinetur admitti in foro canonico assertiones gratuitas.

Item Consultores reiciunt propositionem Rev.mi noni Consultoris, qui vellet § 1 ita innovare: «Onus probandi actori incumbit quoad conditiones specificas atque immediatas factorum actionis constitutivorum, convento vero quoad exceptiones ab ipso propositas et quoad defectum conditionum genericarum». Tales specificationes, dicunt Consultores, pentinent ad doctrinam.

Can. 1748, § 2

Rev.mus Relator quaerit num retinenda sit haec regula (Actore non probante reus absolvitur), quae aliquando fallit, sicut ostendit Rev.mus nonius Consultor in suo voto, referens Ciprotti,⁸ praesertim si iudex suppleat probationes.

Rev.mus Secretarius favet suppressioni, imo, dicit ipse, plane omitti possent canones 1747-1748-1749, normas generales de probationibus praebentes, quae supponi deberent ex doctrina.

Favent quoque suppressioni Rev.mi tertius et secundus Consultores.

Alii Consultores nolunt suppressionem quia secus can. 1748 mancus esset (Rev.mus octavus Consultor), vel proponunt aliquam mutationem, ut puta: «Actore non probante, *pars conventa absolvitur*» (Rev.mus septimus

⁷ CIPROTTI, *Observaciones al testo del Codex Iuris Canonici*, p. 87.

⁸ *Ibidem*, p. 87.

Consultor), vel «Actore non probante, *instantia perimitur*» (Rev.mus quintus Consultor).

Alii demum Consultores proponunt ut duae paragraphi canonis 1748 uniantur et ideo Rev.mus Relator, cui consentit Rev.mus primus Consultor, proponit: «Imprimis actori, et dein ei qui asserit onus probandi incumbit, firmo praescripto can. 1619», dum Rev.mus nonus Consultor proponit: «Onus probandi incumbit actori, firmo praescripto can. 1619. Actore non probante, reus absolvitur».

Fit suffragatio placeatne supprimere § 2:

placet n. 5; non placet n. 4; se abstinet a sententia ferenda n. 1.

Rev.mus quartus Consultor proponit ut hic ponatur novus canon qui dicat de probationibus admittendis, quique sumi potest ab art. 87 Cod. pr. civ. S.C.V.: «Omnia probationis media apta ad ostendendam veritatem eorum quae firmant fundamentum actionis vel exceptionis, et quae sint iure legitima, admitti possunt a iudice ut causae decisio conformis determinetur iustitiae».

Fit suffragatio placeatne propositio Rev.mi quarti Consultoris:

placet n. 7; non placet n. 3.

Can. 1749

Rev.mi Relator, quartus et octavus Consultores proponunt ut canon recognoscatur secundum redactionem art. 95 Instr. *Provida Mater*, scilicet:

«§ 1. Probationes, quae ad moras iudicio nectendas postulari videantur, iudex ne admittat.

§ 2. Si probationes petantur, quae processus evolutionem nimis protrahant, ut examen testis longe dissiti, aut cuius domicilium nescitur, vel cognitio documenti quod cito haberi nequit, iudicis est, auditis partibus et promotore iustitiae, perpendere utrum requisitae probationes admittendae sint: eas tamen admittat, si necessariae videantur, et ceterae deficiant aut satis non sint».

Rev.mus nonus Consultor vellet dicere «tantum probationes necessarias admittendas esse».

Rev.mi quintus, vero, et secundus Consultores vellent formulam simpliorem qua dicatur: «iudex ne admittat probationes inutiles vel dilatorias».

Suffragatur recipiendus sitne textus art.95 Instr. *Provida Mater*.

Placet n. 8; non placet n. 2.

Adunatio III^a
die 13 februarii 1968 mane habita

Antequam examinentur singulae species probationum, Rev.mi secundus et primus Consultores quaestionem movent de determinandis materiis iure particulari statuendis. Censem enim probationes pertinere ad illas materias quae committi possunt Conferentiis episcopalibus ut de illis leges ferant.

Rev.mus Secretarius animadvertisit non posse statui a priori quid committendum sit Conferentiis episcopalibus. Oportet singulas quaestiones perpendere ut, collatis consiliis, determinetur num in iure generali vel in iure particulari de ipsis leges ferendae sint. Quod si aliquis Consultor vellet ex professo studium instituere circa materias iuris processualis Conferentiis episcopalibus committendas, id certe utile erit pro nostra discussione. Ad probationes vero quod attinet, certe agnoscit debet aliquas ipsarum species non congruere cum moribus aliquorum populorum, ideoque Coetus singulas quaestiones perpendere debet.

Rev.mus quartus Consultor animadvertisit iam in can. 1742 (recognito) apte provisum esse exigentii iurum particularium in hac materia, cum dictum sit interrogationes fieri debere a iudice «*nisi iure particulari aliter caveatur*». Item illis exigentii providebitur cum de excussione testium agemus.

Rev.mus nonus Consultor dicit in iure canonico exstare normas, quae communes sunt omnibus gentibus eo quod peculiaris exigentia iuris canonici tendit ad bonum publicum tuendum. Per talem peculiaritatem, ut exemplum afferatur, ius canonicum in matrimonio bonum sacramenti defendit, dum e contra ius civile iura subiectiva potissimum tuetur; consequenter interrogationes, in iure canonico, iudici potissimum tribuuntur facienda, dum in iure civili, maxime vero in iure anglo-saxonico, illae interrogationes tribuuntur advocatis.

Rev.mus Secretarius, huic ultimae suggestioni accedens, subicit conceptionem liceitatis divortii subesse nonnullis normis processualibus aliquorum iurum civilium in re matrimoniali.

Rev.mus Relator monet Rev.mos primum et secundum Consultores eorum suggestiones et vota praecipuum iri cum de recognitione can. 1773 agetur, ut iam videri potest in sua relatione.

His dictis, Rev.mus Relator introducit quaestionem de ordine probationum, scilicet servandus vel mutandus sit necne ordo CIC.

Fit suffragatio placeatne ordinem immutare:

Placet n. 7; non placet n. 3.

Deinde per varia suffragia novus ordo probationum habetur, id est:

1. De confessione partium (placet n. 6; non placet n. 4).
2. De probatione per instrumenta (placet n. 7; non placet n. 3).
3. De testibus et attestationibus (placet n. 9; non placet n. 1).
4. De peritis (omnibus placet).
5. De accessu et de recognitione iudiciali (omnibus placet).
6. De presumptionibus (omnibus placet).

Rev.mus primus Consultor proponit ut dicatur « De declarationibus partium » loco « de confessionibus partium ».

Propositio Rev.mi primi Consultoris omnibus placet.

Rev.mus Relator proponit ut dicatur de probatione « per documenta » loco « per instrumenta », prout in Codice Orientali.

Propositio Rev.mi Relatoris placet n. 7; non placet n. 2; se abstinet a sententia ferenda n. 1.

1) *De declarationibus partium*

Rev.mus Relator animadvertisit quod consequenter ad immutationem inductam in inscriptionem art. 1 (« de declarationibus » loco « de confessionibus »), necesse est definire quid sit « *declaratio* ». Confessio iudicialis enim erit singularis species declarationis.

Rev.mus nonus Consultor notat in praecedenti capite (de interrogationibus partibus in iudicio faciendis) certo haberi declarationes partium iudicis interroganti. Nunc autem, cum simus in capite de probationibus, describere debemus declarationes ut aliquid amplius continentes supra declarationes, de quibus in capite praecedenti.

Rev.mus quintus Consultor negat declarationem posse probationem constituere, sed Rev.mus Relator censet declarationem haberi posse tanquam « *adminiculum probationis* ». Rev.mo Relatori accedit maior pars Consultorum, ideoque duo canones redigendi sunt, unus de declarationibus et alias de confessione iudiciali.

Rev.mus Relator proponit hanc formulam circa declarationes:

« Declarationes partium sive iudiciales sive extraiudiciales quae non contineant confessionem constituere possunt *adminiculum probationis* a iudice recte aestimandum una cum ceteris causae adjunctis ».

Rev.mus quintus Consultor proponit hanc formulam:

« Declarationes partium sive iudiciales sive extraiudiciales aliquam vim probativam ex se habent; iudicis est autem quanti facienda sit aestimare, perpensis omnibus rerum adjunctis ».

Adunatio IV^o
die 13 februarii 1968 vespere habita

Rev.mus secundus Consultor proponit ut canones «de declarationibus partium» ad mininum reducantur et agant tantum:

- a) de iure partium declarandi apud iudicem;
- b) de valore declarationum a iudice aestimando.

Quare sequentem canonem proponit:

«§ 1. Partes in causa ius habent declarationem facere coram tribunalium tam pro se quam contra se.

§ 2. Iudicis est vim probativam huius declarationis aestimare ».

Propositio Rev.mi secundi Consultoris nemini placet.

Deinde fit discussio de canone circa confessionem iudiciale.

Sumitur can. 1750 CIC circa quem sequentes suggestiones proferuntur:

– Rev.mus octavus Consultor proponit ut dicatur «... coram iudice *competenti*...», dum Rev.mus nonus Consultor proponit ut habeatur valida etiam assertio facta coram iudice civili.

Consultoribus placet propositio Rev.mi octavi Consultoris.

– Rev.mus octavus Consultor proponit ut dicatur «*Assertio iurata* de aliquo facto...» sed Consultores nolunt verbum «iurata».

– Ipse Rev.mus octavus Consultor proponit ut, in fine canonis, dicatur «... est confessio iudicialis», loco «*dicitur* confessio iudicialis».

Propositio omnibus placet.

– Rev.mus primus Consultor proponit suppressionem verborum «et pro adversario», dum Rev.mus septimus Consultor proponit ut, loco illorum verborum, dicatur «... contra se *de ipsa re contestata*...».

Propositio Rev.mi septimi Consultoris omnibus placet.

Textus canonis, his mutationibus factis, ita sonat:

«*Assertio de aliquo facto in scriptis aut ore tenus coram iudice competenti, ab una parte contra se de ipsa re contestata, sive sponte, sive iudice interrogante peracta, est confessio iudicialis*».

Fit suffragatio placeatne canon ita recognitus:

Placet n. 7; non placet n. 3.

Circa vim confessionis iudicialis, nonus Consultor proponit sequentem canonem ex cann. 1751 et 1753 CIC concinnatum:

«Confessio, in causis quae publicum Ecclesiae bonum respiciunt, numquam plenam probationem facit; iudicis est, perpensis omnibus rerum adiunctis, aestimare quanti facienda sit confessio extrajudicialis si in iudicium reducatur».

Rev.mus Relator consentit propositioni Rev.mi noni Consultoris quia, suo iudicio, affirmari debet possilitas quod confessio extrajudicialis temporis non suspecti habeat vim plenae probationis, contra art. 116 Instr. *Provida Mater*, qui iniuste talem confessionem deprimit ad merum admiculum probationis.⁹

Sed Rev.mus quintus Consultor censet in formula Rev.mi noni Consultoris non apte enunciatam esse naturam specificam confessionis iudicariae, quae, salvo casu boni publici, probationem plenam facit, ideoque, collatis consiliis cum Rev.mo Relatore et cum Rev.mo nono Consultore, formulam ita proponit:

«§ 1. Confessio iudicialis in causis quae bonum publicum Ecclesiae respiciunt, plenam probationem non facit; in aliis, dummodo libere et scienter facta, relevat alteram partem ab onere probandi.

§ 2. Iudicis est aestimare, perpensis omnibus rerum adiunctis, quanti facienda sit confessio extrajudicialis, si in iudicium dederetur».

Rev.mi octavus et primus Consultores optant ut confessio iudicialis probationem plenam faciat etiam in causis quae publicum Ecclesiae bonum respiciunt. Et ipse Rev.mus quintus Consultor fatetur se huic propositioni favere, uti constat ex suo voto.

Deinde discussio habetur circa can. 1752, id est de retractatione confessionis iudicialis:

– Rev.mi quintus, primus et secundus Consultores proponunt ut sane hic canon supprimatur.

– Rev.mus nonus Consultor proponit ut canon agat tum de revocatione, tum de *divisibilitate* confessionis, ideoque hanc formulam proponit:

«§ 1. Pars, aliquid (valide) confessa in iudicio, non potest contra confessionem suam venire, nisi ex continentis hoc faciat, aut probet confessionem ipsam errori facti esse adscribendam.

§ 2. Iudicis est, cum agitur de confessione qualificata illa tantummodo retinere quae ad veritatem detegendam conducant».

– Rev.mus octavus Consultor censet *revocationem* confessionis iudicialis fere impossibilem practice esse. Iudicium ergo de valore ipsius confes-

⁹ Cf. S.R.R., c. Sabattani; c. Wynen, n. 3237.

sionis iudicialis relinquendum est prudenti arbitrio iudicis, qui, inspecta qualitate et conditione personae, aestimare potest num confessio errore, vi vel dolo vitiata sit.

– Rev.mus Relator aestimat quod non sit necesse «canonizare» in lege reversionem confessionis, quia vel antea, vel postea, habetur perjurium. Non oportet quod pars ita versicolor habeat patrocinium in iure. In tuto poni debet tantum ne confessio sit vitiata, ideoque Rev.mus Relator hanc formulam proponit:

«Quaelibet confessio omni vi destituitur, quando constet determinata ab errore, vel vi vel dolo».

Suffragatur placeatne propositio Rev.mi Relatoris:

Placet n. 7; non placet n. 2; se abstinet a sententia ferenda n. 1.

De canone 1753 CIC Consultores concordant ut supprimatur cum eius materia iam anticipata sit in can. 1751 noviter proposito.

Committitur Rev.mo quinto Consultori ut redigat schema canonum «de probationibus», prae oculis habitis ea quae in Coetu dicta ac probata sunt.

Adunatio V^a
die 14 februarii 1968 mane habita

Rev.mus quintus Consultor praebet Consultoribus schema canonum «de probationibus».

Can. 1750

Declarationes partium sive iudiciales sive extrajudiciales probationis adminiculum constituunt a iudice recte aestimandum.

Can. 1750 bis

Assertio de aliquo facto etc. (prout a Coetu approbatus est in adunatione praecedenti).

Can. 1751

§ 1. Si agatur de aliquo negotio privato, confessio iudicialis unius partis, dummodo libere et scienter facta, relevat alteram partem ab onere probandi: omni autem vi destituitur, si constet eam ex errore, vel vi, vel dolo prolatam fuisse.

§ 2. In causis, quae respiciunt bonum publicum, confessio iudicialis plenam probationem non facit, nisi adiuncta causae ita perspicua sint, ut id suadere videantur.

Can. 1752

Iudicis est aestimare, perpensis omnibus adiunctis, quanti facienda sit confessio extraiudicialis, si in iudicium deducatur».

Examinantur singuli canones.

Can. 1750

Post aliquam discussionem, formula sequens ab omnibus Consultoribus approbatur:

«Declarationes partium sive iudiciales sive extraiudiciales, quae non sint confessiones, aliquam vim probativam habere possunt, a iudice aestimandam una cum ceteris causae adiunctis».

Can. 1750 bis

Consultores manent in decisio-

Can. 1751

Rev.mus Relator proponit ut § 1 tantum prima parte constet; altera pars autem transferatur ad novum canonem, qui sit 1753.

Propositio omnibus placet, ideoque § 1 can. 1751 sequens erit:

«Si agatur de aliquo negotio privato confessio iudicialis unius partis dummodo libere et scienter facta, relevat alteram partem ab onere probandi».

Ipse Rev.mus Relator proponit ut § 2 ita corrigatur:

«In causis, quae respiciunt bonum publicum, confessio iudicialis plenam probationem non facit, *nisi alia accedunt elementa quae contrarium suadere videantur*».

Suffragatur propositio Rev.mi Relatoris:

placet n. 7; non placet n. 2.

Can. 1752

Placet omnibus prout propositus a Rev.mo quinto Consultore.

Deinde fit aliqua discussio pro redigenda formula can.1753, iuxta propositionem Rev.mi Relatoris. Tandem sequens formula omnibus placet:

«Quaelibet confessio vel alia declaratio omni vi destituitur si constet eam ex errore, vel vi, vel dolo prolatam fuisse».

Art. 2. De probatione per documenta¹⁰

Can. 1754 (i.e. can. 1812 CIC)

Omnibus placet ut maneat prout est.

Can. 1755 (i.e. can. 1813 CIC)

Rev.mus nonus Consultor censem longam enumerationem documentorum ecclesiasticorum non esse completam et proponit ut detur descriptio talium documentorum et supprimatur elenches. Inde proponit hanc formulam canonis:

«§ 1. Documenta publica ecclesiastica ea sunt quae persona publica ratione sui officii confecit, servatis sollemnitatibus a iure praescriptis.¹¹

§ 2. Prout est in CIC.

§ 3. Privata documenta sunt scripturae a persona privata confectae, aut a persona publica, sed non ratione sui officii, aut non servatis iuris sollemnitatibus».¹²

Rev.mus quintus Consultor censem descriptionem documenti publici, de qua in § 1, admitti non posse eo quod per verbum «officium» indicatur iam omne munus stabiliter collatum, ideoque omnes possent documenta confidere.

Sed Rev.mus Secretarius dicit formulam in futuro perfici debere per referentiam ad canones de officiis ut res melius circumscribatur.

Rev.mus secundus Consultor proponit ut in § 1 omittatur verbum «ecclesiastica» ita ut § 2 plane deleri possit.

Sed Rev.mus nonus Consultor nollet § 2 omittere quia, suo iudicio, aliquando lex civilis normas favorabiliores quam lex canonica in hac re continet.

De § 3 aliae formulae proponuntur:

a) privata documenta sunt scripturae a persona uti privata subsignatae (Rev.mus quintus Consultor);

¹⁰ Cum ordo probationum immutatus sit, numeratio quoque canonum consequenter immutanda est.

¹¹ Cfr. WERNZ VIDAL, *De processibus*, n. 507.

¹² Cfr. *Ibidem*.

- b) privata sunt documenta quae publica non sunt (Rev.mus secundus Consultor);
- c) cetera documenta sunt privata (Rev.mus tertius Consultor).

Deinde fit suffragatio:

§ 1: placet omnibus propositio Rev.mi noni Consultoris.

§ 2: placet formula CIC Rev.mis septem Consultoribus. Rev.mis duobus Consultoribus vero non placet.

§ 3: placet omnibus formula Rev.mi tertii Consultoris.

Adunatio VI^a
die 14 februarii 1968 vespere habita

Can. 1756 (i.e. can. 1814 CIC)

Rev.mus nonus Consultor proponit adiectionem: «seu veracia» post verbum «genuina».

Consentit Rev.mus quartus Consultor, qui tamen proponit ut dicatur «et» loco «seu».

Suffragatur placeatne formula ita recognita: «Documenta publica... genuina et veracia praesumuntur etc....».

Placet n. 8; non placet n. 1.

Can. 1757 (i.e. can. 1815 CIC)

Rev.mi primus et secundus Consultores petunt suppressionem huius canonis. Alii Consultores vero accedunt ad propositionem Rev.mi Relatoris pro retinendo canone, adhibita tamen formula Codicis Orientalis (can. 338).

Can. 1758 (i.e. can. 1816 CIC)

Rev.mus octavus Consultor proponit ut canon deleatur quia in can. 1756 iam dictum est de veritate documentorum.

Alii Consultores vero volunt ut canon maneat prout est.

Can. 1759 (i.e. can. 1817 CIC)

Rev.mus primus Consultor petit ut vis documenti privati aequiparetur non tantum vi confessionis extrajudicialis, sed etiam vi declarationis de qua in can. 1750 recognito.

Ideoque Rev.mus Relator proponit ut adhibeantur verba formulae Codicis Orientalis, mutata autem ultima parte, hoc modo:

« Documentum privatum, sive agnatum a parte sive recognitum a iudice, eandem probandi vim habet adversus auctorem vel subscriptorem et causam ab iis habentes, ac confessio extra iudicium facta; *relate ad extraneos eandem vim habet ac declaratio de qua in can. 1750* ».

Formula suffragatur:

placet n. 8; non placet n.1.

Can. 1760 (i.e. can. 1818 CIC)

Rev.mus secundus Consultor proponit ut supprimatur, quia nihil dicit nisi ut iudex circa documenta quoque munus suum adimpleat.

Aliqui Consultores tamen censem canonem retinendum esse.

Suffragatur placeatne retinere canonem prouti est:

placet n. 6; non placet n. 3.

Art. 2. De productione documentorum et de actione ad exhibendum

Can. 1761 (i.e. cann. 1819 et 1820 CIC)

De hoc canone sequentes propositiones habentur:

1. Rev.mus secundus Consultor proponit ut duo §§ redigantur hoc modo:

«§ 1. Documenta vim probandi in iudicio non habent, nisi originalia sint aut in exemplari authentico exhibita.

§ 2. Omnes quorum interest ius habent videndi illa documenta ».

Suffragatur propositio Rev.mi secundi Consultoris:

placet n. 1; non placet n. 8.

2. Rev.mus octavus Consultor petit ut formula modo positivo redigatur, id est:

« Documenta vim probandi habent si originalia sint, etc...».

Propositio nemini placet.

3. Rev.mus nonus Consultor animadvertisit can. 1819 et can. 1820 sibi invicem contradicere, quia alter exigit documenta authentica, dum priori sufficit exemplar authenticum.

Forsan contradictio, notat Rev.mus Relator, est magis speciosa quam

vera; tamen prudentis est tollere quoque simulacrum contradictionis; quod fit abolendo alterum canonem, et transferendo in priorem quaedam eius elementa, uti ipse Rev.mus nonus Consultor proponit in suo voto. Ideoque Rev.mus Relator petit ut canon ita redigatur:

« Documenta vim probandi in iudicio non habent, nisi originalia sint aut in exemplari authentico exhibita et penes tribunalis cancellarium deposita ut a iudice et ab adversario examinari possint, exceptis documentis quae publici iuris sunt, ceu leges rite promulgatae ».

Rev.mus primus Consultor vellet ut diceretur « ab iis quorum interest » loco « ab adversario ».

Aliis Consultoribus autem placet formula Rev.mi Relatoris.

Deinde Rev.mus nonus Consultor proponit ut hic ponatur canon de « exemplari authentico » ad sensum art. 159 Instr. *Provida Mater*. Sed Rev.mus Relator, cui omnes assentiuntur, censet ad Titulum de verborum significatione pertinere.

De canone 1821 CIC Consultores concordes sunt ut supprimatur.

De canonibus 1822-1823-1824 CIC Rev.mi Relator, tertius, quintus, octavus, primus, sextus et secundus Consultores proponunt ut supprimantur et de ipsorum materia fiat remissio ad ius civile.

Rev.mus Secretarius assentitur huic propositioni, dummodo talis formula redigatur quae non dicat canonizationem iuris civilis in hac re.

Rev.mus Relator ergo proponit hanc formulam:

« Can. 1762. Quae ius processuale civile loci in territorio statuit de actione ad exhibendum et relativa iudicis provisione, eadem in foro quoque canonico serventur ».

Rev.mus primus Consultor non vult verba « et relativa iudicis provisione ».

Formula, cum emendatione Rev.mi primi Consultoris, omnibus placet.

Adunatio VII^a
die 15 februarii 1968 mane habita

Art. 3. De testibus et attestationibus

Rev.mus Relator aliqua generalia de hoc arguento profert, scilicet:

a) Ut tutius et tranquillus dirigamur in hac regione, ratio habenda est eorum quae exponuntur a Rev.mo nono Consultore, mempe:

1. ius canonicum cum iuribus populorum qui utuntur processu romano-canonicō, hac in re mire congruit;

2. comparatio inter ius canonicum et ius processuale civile Foederatarum Americae septentrionalis Civitatum ostendit quoque eundem scopum, eandem lineam, frequenter easdem regulas, in tali iure civili adhuc magis determinatas.¹³

*b) Curandum est, quantum possibile, ut ea quae respiciunt iuramentum et modum audiendi partes, testes et peritos uniantur in canonibus istis omnibus accommodatis, sicut recte fecit Instr. *Provida Mater*, in art. 91.*

Rev.mi Consultores concordant cum Rev.mo Relatore.

Can. 1763 (i.e. can. 1754 CIC)

Circa hunc canonem de admissione probationis per testes, sequentes habentur sententiae:

a) Rev.mus sextus Consultor vellet canonem abolere, vel saltem ut edicatur clare quando talis probatio non admittatur.

Etiam Rev.mi primus et secundus Consultores censem canonem supprimendum esse.

b) Rev.mus nonus Consultor proponit ut in canone haec clausula includatur:

«... admittitur, *salvo praescripto cann. 1529 et 1990*, sub iudicis etc...».

c) Rev.mi tertius et octavus Consultores censem canonem servandum esse prouti est.

d) Rev.mus quintus Consultor dicit canonem retineri posse prouti iacet, sed forsitan recognosci posset hoc modo:

«Probatio per testes semper admittitur nisi aliud in iure caveatur, sub iudicis tamen moderatione».

Propositum Rev.mi quinti Consultoris in genere placet, dummodo dicatur «in quibuslibet causis» loco «semper» (Rev.mus tertius Consultor) et verbum «tamen» omittatur (Rev.mus primus Consultor).

Formula canonis ergo erit:

«Probatio per testes in quibuslibet causis admittitur, nisi aliud iure caveatur, sub iudicis moderatione».

Can. 1764 (i.e. can. 1755 CIC)

a) Ad § 1 quod attinet, Rev.mi octavus et primus Consultores censem non posse sustineri obligationem respondendi iudici, saltem in contentiosis.

¹³ Cfr. HARRINGTON, *Analytic comparison...*, in *The Jurist* (1954), p. 452.

Rev.mus secundus Consultor, ut vitetur difficultas, proponit ut § 1 ita corrigatur:

«Testes iudici legitime interroganti veritatem fateri debent».

Propositio Rev.mi secundi Consultoris placet omnibus.

b) Circa § 2 sequentes quaestiones habentur:

1. Omnes Consultores volunt ut initio dicatur «Salvo praescripto... ab obligatione respondendi eximuntur...».

2. De n. 2, circa exemptionem a respondendo ratione damni:

– Rev.mus nonus Consultor vellet tollere: «infamiam, periculosas vexationes» et relinquere tantum genus: «mala valde gravia». Ast illae duae species, notat Rev.mus Relator, repreäsentant pericula vere singularia hac in re: ideo forsan melius est quod recenseantur.

Omnes Consultores consentiunt cum Rev.mo Relatore.

– Multi Consultores, ex Ciprotti (l.c.), volunt ut addatur «aut coniugi», post «sibi».

Propositio omnibus placet.

– Rev.mus Relator nollet numerare gradus consanguinitatis vel affinitatis personarum, ideoque proponit:

«Qui ex testificatione sua sibi aut coniugi aut proximis consanguineis vel affinibus, infamiam, periculosas vexationes, aliave mala valde gravia obventura timent».

Propositio omnibus placet.

c) Circa § 3 vero sequentes quaestiones habentur:

1. Nonnulli Consultores volunt introducere canonem propositum a Ciprotti (l.c.), qui absorbet quoque can. 1766 § 2.

Ast canon propositus, notat Rev.mus Relator, revocat «praescriptum can. 1743 § 3», quem nos abolevimus. Idea non potest adhiberi.

2. Rev.mus quintus Consultor proponit quandam novam sanctionem: «... eo ipso ius testificandi apud tribunalia ecclesiastica amittunt et eorum depositio reicienda est; idem valet pro illis qui donis, sollecitationibus...».

Suffragatur propositio Rev.mi quinti Consultoris:

placet n. 4; non placet n. 5.

3. Rev.mi secundus, quartus et primus Consultores proponunt ut de poenis in testem falsum provideat ius particulare. Ideoque haec formula proponitur:

«Testes iudici legitime interroganti scienter falsum affirmantes aut verum occultantes puniri possunt ad normam iuris particularis».

Suffragatur placeatne haec formula:

placet n. 6; non placet n. 3.

1. *Qui testes esse possint*

Can. 1765 (i.e. can. 1756 CIC)

Omnibus Consultoribus placet ut maneat prout est.

Can. 1766 (i.e. can. 1757 CIC)

§ 1: *testes non idonei.*

Rev.mus nonus Consultor animadvertisit quod « mentis debilitas » non eadem intelligitur apud canonistas ac apud medicos. Proponit formulam minus medicam: « impuberis et *qui ob quandam perturbationem mentalem his aequiparantur* ».

Sed Rev.mus Relator censet talem aequiparationem cum impuberibus admitti non posse quia impuberis, expleto septennio, usum rationis habere praesumuntur.

Rev.mus secundus Consultor non vult loqui de impuberibus sed tantum de illis qui ob mentis incapacitatem testimonium dare non possunt.

Rev.mus primus Consultor proponit verba « non admittuntur » loco « repelluntur ».

Rev.mus Relator hanc formulam proponit quae omnibus placet:

« Non admittantur ad testimonium ferendum impuberis et mentis debiles, salvo praescripto can. 1767 ».

Adunatio VIII^a
die 15 februarii 1968 vespere habita

Huic conventui praeest Em.mus Cardinalis Felici, Praeses.

§ 2 can. 1766: *testes suspecti*

Rev.mus tertius Consultor movet crisim contra hanc paragraphum, quia « hodierna mentalitas non amplius admittit cuiusvis personae exclusionem a testificatione ratione defectus moralitatis ».

Consentit Rev.mus Relator, adnotando quod in hac categoria antea enumerabantur etiam « viles personae », seu illae quae, cum essent pauperes, censebantur facile corrumpi posse. Proinde, cum haec « suspicio a iure » admitti nequeat, cumque defectus moralitatis magis respiciat *valorem testificationis* quam personam, proponit ut § supprimatur, et quaedam cautio-nes de hac categoria testium ponantur in canone sequenti.

Propositio omnibus placet.

§ 3: testes incapaces

a) n. 1: Rev.mus primus Consultor petit ut, more iuris anglo-saxonici, pars possit esse testis.

Aliqui Consultores dubitant de opportunitate huius propositionis et Rev.mus primus Consultor desinit suum propositum.

Rev.mus nonus Consultor, ex Ciprotti,¹⁴ vult suppressere exempla in Codice allata et dicere: « Qui partes sunt in causa, aut partium nomine in iudicio consistunt, iudex etc... ».

Propositio omnibus placet.

b) n. 2: Maneat prout est. Ita omnes.

c) n. 3: Consultores nolunt servare incapacitatem testificandi relate ad coniugem, consanguineos et affines illius qui est pars in causa.

Proinde n. 3 supprimitur.

Can. 1767 (i.e. can. 1758 CIC)

De sententia Rev.mi Relatoris tria debent hic haberi: a) auditio testium non idoneorum; b) surrogatio § 2 canonis praecedentis; c) surrogatio n. 3º, § 3, canonis praecedentis.

Quapropter Rev.mus Relator hanc formulam proponit:

« § 1. Non excluduntur a testimonio ferendo partium coniuges, earumque consanguinei et affines etiam proximi: imo in causis de statu personarum et criminalibus eorum testificatio peculiare momentum habere potest.

§ 2. Iudex, si peculiares circumstantiae id exigant, potest inducere uti testes etiam excommunicatos, periuros, culpabiles de crimine falsi, imo notorious quoque partium inimicos: eiusdem tamen est horum testificationes merito aestimare, attentis personarum adjunctis.

§ 3. Id obtinet quoque relate ad personam de quibus in canone 1757 § 1: qui, si inducantur, regulariter iniurati audiantur ».

Rev.mi tertius, nonus et secundus Consultores censem § 1 inutilem esse, cum suppressus sit n. 3º, § 3 canonis praecedentis.

Rev.mus quintus Consultor proponit ut § 1 ita redigatur:

« Iudex admittere potest ad testimonium ferendum partium coniuges, eorumque consanguineos et affines praesertim in causis de statu personarum et criminalibus ».

¹⁴ L.c., p. 88.

Rev.mus Relator autem hanc formulam proponit:

«In causis quae respiciunt bonum publicum vel statum personarum admittuntur tamquam testes etiam partium coniuges eorumque consanguinei et affines; in aliis causis admitti possunt ad praescriptum iudicis».

Suffragatur formula Rev.mi Relatoris:

placet n. 7; non placet n. 2.

Rev.mus primus Consultor, qui suffragium dedit negativum, dicit sibi formulam non placere eo quod, suo iudicio, *in omnibus causis*, etiam bonum publicum vel statum personarum non respicientibus, consanguinei et affines partium tanquam testes admittendi sunt.

Circa § 2 Rev.mus tertius Consultor petit ut supprimatur.

Idem dicit Rev.mus quintus Consultor, qui asserit talem § non posse redigi usque dum definitae sint poenae in singula delicta novi Codicis.

Sed Rev.mi Relator et quartus Consultor putant § 2 redigendam esse saltem relate ad impuberis et mentis debiles, quia in canone praecedenti dictum est: «salvo can. 1767», salvo scilicet praescripto huius canonis qui nunc redigi debet.

Rev.mus secundus Consultor tamen proponit ut in canone praecedenti talis clausula supprimatur et loco clausulae dicatur: «... quod si eorum testificatio iudici necessaria videatur, iniurati audiantur».

Em.mus Praeses proponit ut, loco clausulae, ponantur haec verba: «... audiri tamen poterunt ex decreto iudicis quo id expedire declaretur».

Propositio Em.mi omnibus placet.

2) *De inducendis et excludendis testibus*⁵

Can. 1768 (i.e. can. 1759 CIC)

Rev.mus Relator, Ciprotti secutus,¹⁶ hoc schema canonis proponit:

§ 1: uti iacet.

§ 2: uti iacet, mutata tantum latinitate: «si id *causae* (non “ad causam”) intersit».

¹⁵ NB.: Rev.mus Relator proposuit novam inscriptionem tituli per verba « De inductione et reprobatione testium », loco inscriptionis quam habet CIC « A quibus, quomodo et quot testes induci et qui excludi possint ».

Sed Em.mus Praeses proponit ut dicatur: « De inducendis et excludendis testibus ».

Em.mi propositio omnibus placet.

¹⁶ L.c., p. 88.

§ 3: Ipse iudex potest testes ex officio inducere, sed tantum ad normam can. 1619.

§ 4: uti iacet.

Aliquae discussiones fiunt de § 3 et § 4 a Rev.mo Relatore propositis:

§ 3

Em.mus Praeses proponit ut deleantur verba « sed tantum ».

Propositio omnibus placet.

Em.mus Praeses praeterea animadvertisit formulam, prouti propositam, praebere iudici facultatem inducendi testes ex officio in omnibus causis; quapropter oporteret clare edicere id fieri posse tantum cum agitur de minoribus et de bono publico tuendo.

Rev.mus Relator censet huic difficultati obveniri posse si proposita § 3 compleatur per verba: «... ad normam cann. 1616, 1619 et can. 1766 § 1 ».¹⁷

Rev.mi primus et secundus Consultores vero vellent praebere iudici facultatem inducendi testes in omnibus causis.

Suffragatur placeatne § 3 his verbis redacta:

«Ipse iudex potest testes ex officio inducere, ad normam cann. 1618, 1619 et can. 1766 § 1».

Placet n. 7; non placet n. 2.

§ 4

Consultores volunt ut dicatur « examinetur » loco « examini subiciatur ».

Formula can. 1768 ergo erit prouti proposita a Rev.mo Relatore cum istis mutationibus in §§ 3 et 4.

De can. 1760 CIC unanimiter Consultores volunt ut supprimatur.

Can. 1769 (i.e. can. 1761 CIC)

Rev.mus quartus Consultor, Ciprotti sequens,¹⁸ vult canonem modificare, ne videatur iudex teneri ad illos et solos articulos oblatos testibus. Ad rem textum praebet ex Instr. *Provida Mater* (art. 125 § 1).

Rev.mus Relator tamen censet textum, deductum ex Const. *Provida Mater* ad rem non iuvare, quia non evitat difficultatem relatam et sapit magis Directorium quam legem. Ideoque Rev.mus Relator proponit hanc formulam:

¹⁷ N.B.: Can. 1766 § 1 recognitus correspondet can. 1757 § 1 CIC.

¹⁸ L.c.

« § 1. Cum probatio ... indicentur; praeterea exhibeantur articuli (non “positiones”) argumentorum *super quibus petitur testium interrogatio*».

§ 2. Prout est.

Suffragatur propositio Rev.mi Relatoris:

§ 1: placet omnibus, cum mente tamen quod, cum agetur de modo interrogandi testes, gressus iterum fiat ad hunc canonem.

§ 2: placet ut maneat prout est, dempto tamen verbo « peremptorium », iuxta votum Rev.mi primi et secundi Consultorum.

Adunatio IX^a
die 16 februarii 1968 mane habita

Huic conventui preest Em.mus Cardinalis Praeses.

Can. 1770 (i.e. can. 1762 CIC)

Rev.mus Relator proponit quod actuali formulae canonis haec alia addatur, quae deducta est partim a Rev.mo quinto Consultore, partim a Rev.mo sexto Consultore et partim ex sua elaboratione:

« *ludici... refrenandi. Eos ne admittat, nisi aliquod elementum vere positivum afferant ad meritum causae. Potest quoque abstinere ab examine testium iam inductorum, si ipsi causa videatur satis instructa*».

Rev.mus quintus Consultor vero proponit ut nova formula recipiatur usque ad verba: «.... meritum causae»; cetera autem verba omittantur.

Suffragatur propositio Rev.mi quinti Consultoris:

placet n. 6; non placet n. 3.

Can. 1771 (i.e. can. 1763 CIC)

Fit aliqua discussio in qua variae proferuntur sententiae:

- Iudex communicet nomina testium partibus (Rev.mus nonus Consultor).
- Notarius communicet nomina testium (Rev.mus primus Consultor).
- Partes, interesse habentes, petant nomina testium a Cancellaria tribunalis (Rev.mus quintus Consultor).
- Rev.mus Relator proponit ut canon maneat prout est.

Suffragatur propositio Rev.mi Relatoris:
placet n. 7; non placet n. 2.

Can. 1772 (i.e. can. 1764 CIC)

Rev.mus Relator dicit canonem, prout in Codice, continere minutissimas normas quae magis ad Directorium quam ad legem pertinent. Quoniam autem argumentum praetermitti non possit, quia agit de reprobatione testium, Rev.mus Relator hanc formulam compendiosam proponit:

«Praeter testes de quibus in can. 1766,¹⁹ alii quoque excludi possunt, parte postulante, si iusta exclusionis causa demonstretur. Si vero discussio de hac re haberi contingat, haec fiat post examen testis et ante conclusum in causa».

Rev.mus quintus Consultor proponit ut formula compleatur per haec verba: «... nisi statim ac facile probari possit vel postea probari nequeat».

Rev.mus nonus Consultor proponit ut dicatur «proferatur» loco «demonstretur».

Rev.mus primus Consultor praeferret vitare causas incidentales circa exclusionem testium, ideoque proponit ut omittatur alterum comma formulæ Rev.mi Relatoris.

Suffragatur placeatne formula prout proposita a Rev.mo Relatore:
placet n. 7; non placet n. 2.

Can. 1773 (i.e. can. 1765 CIC)

Rev.mus Relator, suggestionibus Rev.morum tertii, primi, noni et secundi Consultorum annuens, dicit non nimis hic urgendam esse necessitatem citationis testium a iudice, ut salvetur etiam sistema processuale anglo-saxonicum.

Ideoque hanc formulam proponit, quae omnibus placet:

«Citatio testis fit decreto iudicis eaque testibus intimatur ad normam cann. 1715-1722, salvo tamen iure particulari quoad alium modum testes advocandi.

Semper tamen habentur uti rite citati testes quos pars secum dicit et iudex audire non recuset».

Can. 1774 (i.e. can. 1766 CIC)

Rev.mus quintus Consultor proponit ut § 1 recognoscatur hoc modo:
«Testis rite citatus pareat aut causam suaे absentiae iudici notam faciat».

¹⁹ Can. 1766 prout in nova numeratione (qui correspondet can. 1757 CIC).

Propositio omnibus placet.

Rev.mus tertius Consultor proponit ut § 2 omittatur et remittatur ad dispositiones iuris particularis circa poenas, si quae ferendae sint, contra testes inobedientes.

Propositio Rev.mi tertii Consultoris omnibus placet, ideoque Rev.mus Relator, adiuvantibus aliis Consultoribus, formulam § 2 redigit his verbis:

«Si testis sine legitima causa non comparet, aut, etsi comparuerit, renuerit respondere vel attestationi subscribere, adhibeantur dispositiones iuris particularis si quae statutae fuerint».

3) *De iureiurando testium*

Can. 1775 (i.e. can. 1767 CIC)

Rev.mus Relator hanc formulam proponit:

«§ 1. Iudex semper testem commonefaciet gravis obligationis qua teneatur totam et solam veritatem dicendi.

§ 2. Nisi testis religio vel forma mentis contrarium suadeat, iudex ei deferas iuriurandum, ante excussionem: quod tamen iuriurandum, partibus consentientibus, remitti potest testibus, si de iure partium mere privato agatur».

Formula quoad substantiam placet Consultoribus; desideratur tamen ut melius perficiatur. Quapropter Rev.mus Relator, communi consilio aliorum Consultorum, ita formulam perficit:

«§ 1. Iudex testi in mentem revocet gravem obligationem dicendi totam et solam veritatem.

§ 2. Iudex testi deferat iuramentum ante excussionem: si testis renuat illud emittere, iniuratus audiatur».

Consultores unanimiter censem can. 1768 CIC, de iuramento de veritate dictorum, esse suppressendum.

Item Consultores censem suppressendum esse can. 1769 CIC, circa iuramentum de secreto servando, cum iam provisum sit per can. 1623 § 3.

Adunatio X^a
die 16 februarii 1968 vespere habita

4) *De testium examine*

Ante omnia revocatur propositum Consultorum, in Sessione III^a prolatum, de exquirendo, nempe, in praesenti capite de «examine testium», num testes recipi possint ante contestationem litis.

Rev.mus quintus Consultor hanc formulam proponit:

«Iudex ad testificationum aliarumque probationum receptionem ne procedat ante litis contestationem nisi ob iustum et gravem causam».

Formula placet omnibus Consultoribus, qui volunt illam ponere tamquam can. 1749 ter.

Can. 1776 (i.e. can. 1770 (CIC))

Rev.mus quartus Consultor, Ciprotti sequens,²⁰ proponit ut § 1 ita corrigatur:

«Testes sunt examini subiiciendi in ipsa tribunalis sede, *nisi aliud iudici necessarium videatur*».

Rev.mus Relator proponit: «...nisi aliud iudici necessarium *vel valde opportunum* videatur».

Alii Consultores vero volunt ut tantum dicatur: «... nisi aliud iudici videatur».

Circa § 2, Rev.mus Relator, suggestionem Rev.mi noni Consultoris secutus, dicit conficiendam esse formulam omnino generalem, quae non descendat ad praesentes nimis minutae determinationes. Cum autem principium § 1st valde attenuatum sit, Rev.mus Relator dicit dispositiones § 2nd non amplius ponendas esse tamquam exceptiones contra normam § 1st.

Ideoque Rev.mus Relator hanc formulam proponit:

«§ 2. Testificationis reddenda causa, audiri possunt;

1^o in loco ab ipsis electo, personae in conspicua dignitate ecclesiastica vel civili constitutae;

2^o domi, qui morbo vel alio impedimento vel conditione vitae, sedem tribunalis adire nequeunt;

3^o apud tribunal suae dioecesis, vel etiam in alia sede ad actum electa, ad normam can. 1570 § 2, et can. 1636 § 1, qui longe commorantur».

Fit aliqua brevis discussio et deinde formula ab omnibus probatur, tantum his mutationibus factis:

«Testificationis reddenda causa, audiantur;

1^o in loco ab ipsis electo, S.R.E. Cardinales, Episcopi, necnon personae quae suae civitatis iure tali favore gaudent».²¹

²⁰ L.c., p. 89.

²¹ N.B.: Aequiparatio cum iure civili, quoad auctoritates civiles, suggesta est a Rev.mo tertio Consultore.

- 2º prout in formula Rev.mi Relatoris.
3º prout in formula Rev.mi Relatoris.

Rev.mus sextus Consultor petit ut hic ponatur novus canon de teste surdo et muto, iuxta formulam propositam a Ciprotti.

Sed Rev.mus Relator meminit talem formulam, aliquatenus mutatam, iam positam esse tamquam can. 1641 bis, post canonem de interprete.

Can. 1777. (i.e. can. 1771 CIC)

Nonulli Consultores (Rev.mi tertius, nonus, sextus, primus et septimus Consultores), diverso tamen gradu et intensitate, volunt ut detur partibus possibilitas assistendi habitualiter examini testium. Rationes adducuntur in:

- a) praxi fere omnium nationum;
- b) aequalitate processuali statuenda inter actorem, qui est absens, et defensorem vinculi, qui est praesens;
- e) aspectu externo iustitiae aptius servando.

Sed Rev.mus Relator considerandum quoque existimat periculum ne testis non audeat veritatem fateri contra partem praesentem. Et hoc periculum maius est in causis matrimonialibus, ubi frequentissime partes simul dimicant contra vinculum.

Admitti quoque debet, iudicio Rev.mi Relatoris, quod causae canonicae sunt tramites longi et minutissimi examinis; ipsae non possunt constituere «spectaculum», sicuti est in forma mentis quorundam locorum (cfr. Proces-sus cum Perry Mason!).

Rev.mus Relator censet temperamentum inveniri in voto Rev.mi noni Consultoris, de admittendis advocatis, et non partibus. Tamen, Rev.mus Relator ipse putat quod, quandoque, praesentia etiam advocatorum tantum non parum officit. Ideoque hanc formulam proponit:

«Examini testium partes assistere nequeunt, nisi iudex, praesertim cum res est de bono privato, eas admittendas censuerit. Assistere tamen possunt earum advocati vel procuratores, nisi iudex propter rerum et personarum adiuncta aestimaverit secreto esse procedendum».

Suffragatur placeatne haec formula:
omnibus placet.

Can. 1778 (i.e. can. 1772 CIC)

Rev.mus Relator sequentes animadversiones facit:

a) Quamvis ius civile Foederatarum Americae septentrionalis Civitatum admittat ut testis depositionem aliorum testium audire possit, tamen — ut animadvertisit Rev.mus nonus Consultor — norma canonica de examine singulari aptior est ad detegendam veritatem.

b) Comparatio inter partes et testes debet reddi facilior. Tamen non videtur quod «confrontatio debeat esse norma» (Rev.mus primus Consultor), etiam ob exiguos vel nullos fructus qui, uti experientia docet, ex illa percipiuntur.

c) Canon, ideo, ita breviari potest:

«§ 1: prout est.

§ 2: Si testes inter se aut cum parte in re gravi et causae substantiam attingente dissentiant, iudex discrepantes inter se conferre seu comparare potest, remotis, quantum possibile erit, dissidiis et scandalo».

Rev.mus quintus Consultor censet superflua esse verba «et causae substantiam attingente».

Omnibus Consultoribus placet formula Rev.mi Relatoris, una cum emendatione proposita a Rev.mo quinto Consultore.

Can. 1779 (i.e. can. 1773 CIC)

Rev.mus Relator dicit inveniri oportere, hac in re, temperamentum inter sistema canonicum, in quo iudex solus interrogat, et anglo-saxonicum, in quo partes et advocati directe interrogant testes. Hoc fit dupliciter: a) sartum tectum servando ius particulare; b) dando facultatem advocatis testem interrogandi per iudicem.

Ideoque Rev.mus Relator proponit formulam in quam confidit convenire posse Consultores, qui occupant arcum late descriptum, a maxima reformatione (Rev.mi primus et tertius Consultores), per medium (Rev.mi nonus et sextus Consultores), usque ad minimam vel nullam (alii).

En canon propositus a Rev.mo Relatore:

«Salvo iure particulari, examen testis fit a iudice, vel ab eius delegato aut auditore, cui assistat oportet notarius. Quapropter partes, vel promotor iustitiae, vel defensor vinculi, vel advocati qui examini intersint, si novas interrogationes testi faciendas habeant, has non testi, sed iudici vel eius locum tenenti proponant, ut eas ipse deferat».

Rev.mus tertius Consultor proponit ut dicatur: «... si *alias* interrogations...» loco «... si *novas* interrogations...».

Formula omnibus placet cum emendatione proposita a Rev.mo tertio Consultore.

Rev.mus nonus Consultor proponit ut hic ponatur novus canon, ex art. 97 Instr. *Provida Mater*, circa identitatem testis documento comprobandum, nisi aliunde tribunali nota sit.

Consultores vero putant hoc ad Directorium pertinere.

Can. 1780 (i.e. can. 1774 CIC)

Rev.mus Relator censet canonem servandum esse, cum nonnullis mutationibus:

- a) in secunda linea aboleri debet: «hoc est» (uti iam factum est in Codice Orientali, can. 296);
- b) in fine, post «quomodo» addendum est «ac praesertim quo definito tempore» ea quae asserit, habeat cognita (ex art. 100 Instr. *Provida Mater*).
Propositio Rev.mi Relatoris omnibus placet.

Can. 1781 (i.e. can. 1775 CIC)

Rev.mus nonus Consultor proponit quod canon compleatur per ultima verba art. 102 Instr. *Provida Mater*.

«... Debent insuper esse interrogandi intelligentiae accommodatae et vulgari sermone expressae».

Sed Rev.mus octavus Consultor censet melius esse si emendationes Rev.mi noni Consultoris ponantur initio canonis hoc modo:

«Interrogationes breves sunt, *interrogandi intelligentiae accommodatae, vulgari sermone expressae, non plura, etc...*».

Propositio Rev.mi octavi Consultoris omnibus placet.

Can. 1782 (i.e. can. 1776 CIC)

Omnès Consultores volunt ut maneat prout est.

Can. 1783 (i.e. can. 1777 CIC)

Omnès Consultores volunt ut canon maneat prout est, mutato tantum «oretenus» in «ore».

Can. 1784 (i.e. can. 1778 CIC)

Circa hunc canonem, de redigenda scilicet relatione testificationis, sequentes sententiae habentur:

a) Rev.mi tertius et sextus Consultores volunt testificationem referri «in breve contractam, et in omne quod attinet ad depositionis substantiam». Prior memorat difficultates illi factas in tribunali eo quod relatio non referrebat quaedam verba testis.

Sed Rev.mus Relator censem depositionem relatam quoad solam substantiam esse aliquid discolor et enervatum.

b) Rev.mus quintus Consultor id proponit, tamquam additionem: «Diffusa relatio, quae nihil confert ad solutionem causae evitetur, ita etiam monosyllabicae responsiones».

c) Rev.mus septimus Consultor vult «statim» loco «ex continenti».

d) Rev.mus primus Consultor petit ut verbum «statim» omittatur. In canone potius dici debet quod responsiones testium, in teniolis technicis (registratori magnetico) vel in notis technographicis (stenografia) impressae, in scriptis postea ab actuario transferantur. Exinde testes denuo vocentur quibus notarius textum depositionis legat et perat ut illum subscribant.

Consultores respondent Rev.mo primo Consultori quod haec omnia bene componuntur cum textu canonis si tollatur verbum «statim».

Rev.mus Relator proponit hanc formulam:

«Responsio redigenda est scripto ab actuario, et referre debet ipsa editi testimonii verba, saltem relate ad quaesita meritum causae directe attingentia. Vitentur sive relationes inutiliter diffusae, sive responsiones monosyllabicae, ex quibus testis non translucet in sua vi probatoria».

Rev.mus quintus Consultor non vult ultima verba: «ex quibus testis non translucet in sua vi probatoria».

Formula Rev.mi Relatoris omnibus placet, demptis ultimis verbis, iuxta propositionem Rev.mi quinti Consultoris.

Can. 1785 (i.e. can. 1779 CIC)

Rev.mus nonus Consultor proponit formulam breviorem in qua disperant exempla nunc relata in canone. En textus: «Actuarius in actis mentionem faciat de omnibus memoria dignis quae acciderint, cum testes excutiebantur».

Rev.mus octavus Consultor proponit ut in formula Rev.mi noni Consultoris dicatur: «... memoria dignis relate ad causam quae acciderint...».

Formula Rev.mi noni Consultoris omnibus placet cum emendatione Rev.mi octavi Consultoris.

Can. 1786 (i.e. can. 1780 CIC)

Rev.mus primus Consultor proponit ut initio canonis dicatur: «*In fine examinis*, testi legi debent quae actuarius, etc...».

Propositio Rev.mi primi Consultoris omnibus placet.

Can. 1787 (i.e. can. 1781 CIC)

Circa hunc canonem duae propositiones habentur:

a) Rev.mus nonus Consultor vult extendere normam ita ut initio dicatur: «*Partes, testes, et periti...*».

b) Rev.mus quartus Consultor proponit ut addatur § 2 qua dicatur:

«Iudex instructor referat scripto in calce depositionis uniuscuiusque testis conditionem istius durante examine, sicut et omnia quae pondus habere possint ad credibilitatem praesertim quod attinet».

Sed alii Consultores volunt ut canon maneat prout est in CIC.

Adunatio XI^a
die 17 februarii 1968 mane habita

5) *De testimoniorum evulgatione eorumque reprobatione*

Can. 1788 (i.e. can. 1782 CIC)

Rev.mus Relator hanc formulam breviorem proponit, quae omnibus placet:

«Si partes aut earum advocati vel procuratores examini non interfuerunt, testimonia poterunt evulgari statim post absolutum omnium testium examen, vel quando alia quoque probationum genera absoluta fuerint».

Can. 1789 (i.e. can. 1783 CIC)

Rev.mus Relator proponit ut canon servetur prout in Codice Orientali (can. 306), mutato tamen, in n. 2^o, verbo «*reprobandi*» in «*excludendi*».

Placet propositio quoad n. 2^{um}. Quoad n. 1^{um} vero Consultores praefuerunt formulam quam proponit Rev.mus quintus Consultor, i.e.:

«Post testificationum evulgationem:

1^o Cessat facultas reprobandi testis personam, nisi a parte demonstretur defectum testis antea sibi notum non fuisse».

Can. 1790 (i.e. cann. 1784 et 1785 CIC)

Rev.mus Relator proponit ut can. 1784 CIC servetur prout est, adhibito tamen verbo «exclusionem» loco «reprobationem». Quoniam autem Rev.mus sextus Consultor petit ut in can. 1785 CIC omittantur ultima verba (i.e. comma: «et deinde procedat ut in aliis incidentalibus causis»), Rev.mus Relator talem propositionem bene accipiens, putat melius esse can. 1785 CIC abolere, et can. 1784 CIC per haec verba completere: «Alioquin rem expeditissime definit».

Propositio Rev.mi Relatoris omnibus placet.

Can. 1791 (i.e. can. 1786 CIC)

Rev.mus tertius Consultor animadvertisit quod cum admissi sint advocati ut examini testium assistant, periculum adest ne partes, postquam audierint testificationes, alios adhuc testes producant ad contradicendum. Oporteret ergo ut obligatio fieret exhibendi elenchum testium statim post contestationem litis.

Rev.mus primus Consultor censem solutionem Rev.mi tertii Consultoris esse nimis duram.

Rev.mus Relator hanc solutionem proponit:

a) can. 1786 CIC maneat prout est;

b) alia § addatur in can. 1788 (i.e. can. 1782 CIC) his verbis: «Praesentia partium vel earum advocatorum examini testis aequivalet evulgationi».

c) Consequenter presens canon 1791 (i.e. 1786 CIC) initio ita mutetur: «Post evulgatas testificationes, ad normam can. 1788, testes, etc...».

Propositio Rev.mi Relatoris omnibus placet.

6) *De indemnitate testium*

Can. 1792 (i.e. can. 1787 CIC)

In § 1 Rev.mus sextus Consultor vellet hic declarare quod «indemnitas testis solvatur ab eo qui testem induxit».

Sed Rev.mus Relator censem hoc non semper iustum esse. Si quis iniuste convenitur et ad se defendendum debet testes inducere, curnam etiam damnum oeconomicum sustinere debet?

Omnibus placet ut § 1 maneat prout est.

Ad § 2 quod attinet Rev.mus tertius Consultor vellet hanc materiam remittere iuri particulari, vel iuri civili locali.

Sed forsitan dedecet, dicit Rev.mus Relator, quod Conferentia episcopalis legem ferat de hac minutissima re. Melius esset, iudicio Rev.mi Relatoris, quod iudex rationem habeat de iure civili loci.

Ideo Rev.mus Relator proponit hanc formulam: «Iudicis erit, audita parte et teste, et attenta quoque praxi in foro civili vigente, taxare indemnitudinem et expensas testi solvendas».

Formula omnibus placet.

Can. 1793 (i.e. can. 1788 CIC)

Rev.mus Relator proponit ut adhibeatur formula Codicis Orientalis (can. 311), cui haec verba addantur: «Haec norma tamen non applicatur ei qui agnitus fuerit in totum impar expensis iudicialibus sustinendis, ad normam can. 1914, et in casu aliter provideri debet».

Propositio Rev.mi Relatoris omnibus placet.

7) *De testimoniorum fide*

Can. 1794 (i.e. can. 1789 CIC)

Circa hunc canonem sequentes quaestiones habentur:

a) Rev.mus nonus Consultor vult quod iudex consideret quoque principia psychologiae iudicariae et de hac re proponit specialem n. 5.

Sed Rev.mus Relator censet quod haec consideratio deberet esse praesens iudici semper, relate ad omnia puncta relata; et ideo proponit hanc formulam:

«In aestimandis testimoniis iudex, attentis principiis psychologiae iudicariae, pree oculis habeat:

1°, 2°, 3°, 4°: in formula can. 312 Codicis Orientalis.

b) Rev.mus quartus Consultor vult hic inserere art. 138 Instr. *Provida Mater* de requirendo testimonio religiositatis, probitatis etc. circa testes.

Rev.mus Relator notat quod reapse can. 312 Codicis Orientalis, in capite, refert: «requisitis, si opus sit, testimonialibus litteris». Et hoc, dicit Rev.mus Relator, est parum, dum articulus Instructionis est nimius.

Ideo Rev.mus Relator proponit § 2, quae contineat utile temperamentum:

«§ 2. De testibus exquiratur ex officio testimonium probitatis, credibilitatis et religiositatis, a parochis vel ab aliis prout circumstantiae sinant. Testimonia huiusmodi sunt publicanda, nisi circa quaedam ex ipsis, ad gravia mala vitanda attento eorum tenore, iudex decernat procuratores et advocates adstringere de secreto servando».

Consultores autem, proponente Rev.mo quinto Consultore, nolunt hanc § 2, sed praferunt formulam Codicis Orientalis, additis verbis «attentis principiis psychologiae iudicariae».

Can. 1795 (i.e. can. 1790 CIC)

Omnes Consultores volunt ut adhibeatur formula can. 313 Codicis Orientalis.

Can. 1796 (i.e. can. 1791 CIC)

Rev.mus Relator notat quod multum disputatur de principio enuntiato in hoc canone. Sed, tamquam regula generalis, sanciri potest; nam admittit rationabiles exceptiones in iurisprudentia et praxi forensi comprobatas. Et exstat quoque can. 1869 § 3. Haec functio generalis declarari quoque potest in lege.

Rev.mus nonus Consultor vult canonem servare; Rev.mus sextus Consultor vult illum supprimere. Rev.mus nonus Consultor vult citare canones parallelos (ubi testis unus valet), vel initio addere: «Nisi aliud caveatur».

Rev.mus Relator praefert alteram formulam, sub qua contineri potest ipse can. 1869 § 1. Ideo proponit:

«§ 1. Regula generalis est, nisi aliud iure caveatur, unius testis depositio plenam fidem non facere, nisi sit testis qualificatus qui deponat de rebus ex officio gestis».

Rev.mus tertius Consultor vero proponit hanc formulam § 1, quae omnibus placet:

«Unius testis depositio plenam fidem non facit, nisi aliud iure caveatur, aut agatur de teste qualificato qui deponat de rebus ex officio gestis, aut rerum et personarum adiuncta aliud suadeant».

De § 2 Consultoribus placet ut maneat prout est, demptis tamen verbis: «sub iuramenti fide».

APPENDIX
SCHEMA CANONUM

CAPUT V

De Probationibus

Can. 1747.

Non indigent probatione:

1º Facta notoria;

2º Quae ab ipsa lege praesumuntur;

3º Facta ab uno ex contendentibus asserta et ab altero admissa, nisi a iure vel a iudice probatio nihilominus exigatur.

Can. 1748

Onus probandi incumbit ei qui asserit, firmo praescripto can. 1619.

Can. 1749

Omnia probationis media apta ad ostendendam veritatem eorum quae firmant fundamentum actionis vel exceptionis, et quae sint iure legitima, admitti possunt a iudice ut causae decisio conformis determinetur iustitiae.

Can. 1749 bis

§ 1. Probationes, quae ad moras iudicio nectendas postulari videantur, iudex ne admittat.

§ 2. Si probationes petantur, quae processus evolutionem nimis protrahant, ut examen testis longe dissiti, aut cuius domicilium nescitur, vel cognitio documenti quod cito haberi nequit, iudicis est, auditis partibus et promotore iustitiae, per perdere utrum requisitae probationes admittendae sint: eas tamen admittat, si necessariae videantur, et ceterae deficiant aut satis non sint.

Can. 1749 ter

Iudex ad testificationum aliarumque probationum receptionem ne procedant ante litis contestationem nisi ob iustum et gravem causam.

ART. I – *De declarationibus partium**Can. 1750*

Declarationes partium sive iudiciales sive extrajudiciales, quae non sint confessiones, aliquam vim probativam habere possunt, a iudice aestimandam una cum ceteris causae adjunctis.

Can. 1750 bis

Assertio de aliquo facto in scriptis aut oretenus coram iudice competenti, ab una parte contra se de ipsa re contestata, sive sponte, sive iudice interrogante peracta, est confessio iudicialis.

Can. 1751

§ 1. Si agatur de aliquo negotio privato confessio iudicialis unius partis dummodo libere et scienter facta, relevat alteram partem ab onere probandi.

§ 2. In causis quae respiciunt bonum publicum, confessio iudicialis plenam probationem non facit, nisi alia accedant elementa quae contrarium suadere videantur.

Can. 1752

Iudicis est aestimare, perpensis omnibus adjunctis, quanti facienda sit confessio extrajudicialis, si in iudicium ducatur.

Can. 1753

Quaelibet confessio vel alia declaratio omni vi destituitur si constet eam ex errore, vel vi, vel dolo prolatam fuisse.

ART. II – *De probatione per documenta**Can. 1754*

In quolibet iudicii genere admittitur probatio per documenta tum publica tum privata.

Can. 1755

§ 1. Documenta publica ecclesiastica ea sunt quae persona publica, ratione sui officii confecit, servatis sollemnitatibus a iure praescriptis.

§ 2. Documenta publica civilia ea sunt quae secundum uniuscuiusque loci leges talia iure censentur.

§ 3. Cetera documenta sunt privata.

Can. 1756

Documenta publica sive ecclesiastica sive civilia genuina et veracia prae-sumuntur, donec contrarium evidenteribus argumentis evincatur.

Can. 1757

Recognitio aut impugnatio scripturae proponi potest in iudicio tum incidenter, tum ad modum causae principalis.

Can. 1758

Documenta publica fidem faciunt de iis quae directe et principaliter in eisdem affirmantur.

Can. 1759

Documentum privatum, sive agnatum a parte sive recognitum a iudice, eandem probandi vim habet adversus auctorem vel subscriptorem et causam ab iis habentes, ac confessio extra iudicium facta; relate ad extraneos eandem vim habent ac declaratio de qua in can. 1750.

Can. 1760

Si abrasa, correcta, interpolata aliove vitio documenta infecta demonstrentur, iudicis est aestimare num et quanti huiusmodi documenta facienda sint.

*2) De productione documentorum et actione ad exhibendum**Can. 1761*

Documenta vim probandi in iudicio non habent, nisi originalia sint aut in exemplari authentico exhibita et penes tribunalis cancellariam deposita, ut a iudice et ab adversario examinari possint, exceptis documentis quae publici iuris sunt, ceu leges rite promulgatae.

Can. 1762

Quae ius processuale civile loci in territorio statuit de actione ad exhibendum, eadem in foro quoque canonico serventur.

*ART. III – De testibus et attestationibus**Can. 1763*

Probatio per testes in quibuslibet causis admittitur nisi aliud iure caveatur, sub iudicis moderatione.

Can. 1764

§ 1. Testes iudici legitime interroganti veritatem fateri debent.

§ 2. Salvo praescripto can. 1757 § 3, n. 2, ab obligatione respondendi eximuntur:

1º Parochi aliquique sacerdotes quod attinet ad ea quae ipsis manifestata sunt ratione sacri ministerii extra sacramentalem confessionem; civitatum magistratus, medici, obstetrices, advocati, notarii aliique qui ad secretum officii etiam ratione praestiti consilii tenentur, quod attinet ad negotia huic secreto obnoxia;

2º Qui ex testificatione sua sibi aut coniugi aut proximis consanguineis vel affinibus infamiam, periculosas vexationes, aliave mala valde gravia obventura timent.

§ 3. Testes iudici legitime interroganti scienter falsum affirmantes aut verum occultantes puniri possunt ad normam iuris particularis.

1) *Qui testes esse possint*

Can. 1765

Omnes possunt esse testes, nisi expresse a iure repellantur vel in totum vel ex parte.

Can. 1766

§ 1. Non admittantur ad testimonium ferendum impuberes et mentis debiles; audiri tamen poterunt ex decreto iudicis quo id expedire declaretur.

§ 2. Incapaces habentur:

1º Qui partes sunt in causa, aut partium nomine in iudicio consistunt, iudex eiusve assistentes, advocatus aliique qui partibus in eadem causa assistunt vel astiterunt;

2º Sacerdotes, quod attinet ad ea omnia quae ipsis ex confessione sacramentali innotuerunt, etsi a vinculo sigilli soluti sint; imo audita a quovis et quoquo modo occasione confessionis ne ut indicium quidem veritatis recipi possunt.

Can. 1767

In causis quae respiciunt bonum publicum vel statum personarum admittuntur tamquam testes etiam partium coniuges eorumque consanguinei et affines; in aliis causis admitti possunt ad praescriptum iudicis.

*2) De inducendis et excludendis testibus**Can. 1768*

- § 1. Testes a partibus inducuntur.
§ 2. Possunt quoque induci a promotore iustitiae et defensore vinculi, si id causae intersit.
§ 3. Ipse iudex potest testes ex officio inducere ad normam cann. 1618, 1619 et can. 1766 § 1.
§ 4. Pars, quae testem induxit, potest eius examini renuntiare; sed adversarius postulare potest ut, hac non ostante renuntiatione, testis examinetur.

Can. 1769

- § 1. Cum probatio per testes postulatur, eorum nomina et domicilium tribunalii indicentur; praeterea exhibeantur articuli argumentorum super quibus petitur testium interrogatio.
§ 2. Si ne intra diem quidem a iudice praestitum, obtemperatum fuerit, postulatio deserta censetur.

Can. 1770

Iudici ius et obligatio est nimiam multitudinem testium refrenandi. Eos ne admittat, nisi aliquod elementum vere positivum afferant ad meritum causee.

Can. 1771

Partes debent sibi invicem nota facere testium nomina antequam eorum examen inchoetur, aut, si id, prudenti iudicis existimatione, fieri sine gravi difficultate nequeat, saltem ante testificationum publicationem.

Can. 1772

Praeter testes de quibus in can. 1766, alii quoque excludi possunt, parte postulante, si iusta exclusionis causa demonstretur. Si vero discussio de hac re haberi contingat, haec fiat post examen testis et ante conclusum in causa.

Can. 1773

Citatio testis fit decreto iudicis eaque testibus intimatur ad normam cann. 1715-1722, salvo tamen iure particulari quoad alium modum testes advocandi.

Semper tamen habentur uti rite citati testes quos pars secum dicit et iudex audire non recuset.

Can. 1774

- § 1. Testis rite citatus pareat aut causam suaे absentiae iudici notam faciat.
§ 2. Si testis sine legitima causa non comparet, aut, etsi comparuerit, renuerit respondere vel attestationi subscribere, adhibeantur dispositiones iuris particularis si quae statutae fuerint.

3) *De iureiurando testium**Can. 1775*

- § 1. Iudex testi in mentem revocet gravem obligationem dicendi totam et solam veritatem.
§ 2. Iudex testi deferat iuramentum ante excussionem: si testis renuat illud emittere, iniuratus audiatur.

4) *De testium examine**Can. 1766*

- § 1. Testes sunt examini subiiciendi in ipsa tribunalis sede, nisi aliud iudic videatur.
§ 2. Testificationis reddendae causa, audiantur:
1° in loco ab ipsis electo, S.R.E. Cardinales, Episcopi, necnon personae, quae suaे civitatis iure tali favore gaudent;
2° domi, qui morbo vel alio impedimento vel conditione vitae, sedem tribunalis adire nequeunt;
3° apud tribunal suaे dioecesis, vel etiam in alia sede ad actum electa, ad normam can. 1570 § 2, et can. 1636 § 1, qui longe commorantur.

Can. 1777

Examina testium partes assistere nequeunt, nisi iudex, presertim cum res est de bono privato, eas admittendas censuerit. Assistere tamen possunt earum advocati vel procuratores, nisi iudex propter rerum et personarum adjuncta aestimaverit secreto esse procedendum.

Can. 1778

- § 1. Testes seorsim singuli examinandi sunt.
§ 2. Si testes inter se aut cum parte in re gravi dissentiant, iudex discrepantes inter se conferre seu comparare potest, remotis, quantum possibile erit, dissidiis et scandalis.

Can. 1779

Salvo iure particulari, examen testis fit a iudice, vel ab eius delegato aut auditore, cui assistat oportet notarius. Quapropter partes, vel promotor iustitiae, vel defensor vinculi, vel advocati qui examini intersint si alias interrogations testi faciendas habeant, has non testi, sed iudici vel eius locum tenenti proponant, ut eas ipse deferat.

Can. 1780

Testis primo interrogari debet non modo de generalibus personae adiunctis, de nomine, cognomine, origine, aetate, religione, conditione, domicilio, sed etiam quae ipsi cum partibus in causa sit necessitudo; deinde deferenda sunt interrogations quae causam ipsam respiciunt et sciscitandum unde et quomodo ac praesertim quo definito tempore, ea quae asserit, cognita habeat.

Can. 1781

Interrogationes breves sunt, interrogandi intelligentiae accommodatae, vulgari sermone expressae, non plura simul complectentes, non captioxae, non subdolae, non sugerentes responsonem, remotae a cuiusvis offensione et pertinentes ad causam quae agitur.

Can. 1782

§ 1. Interrogationes non sunt cum testibus antea communicandae.

§ 2. Attamen si ea quae testificanda sunt ita a memoria sint remota, ut nisi prius recolantur, certo affirmari nequeant, poterit iudex nonnulla testimoniis praemonere, si id sine periculo fieri censeat.

Can. 1783

Testes ore testimonium dicant, et scriptum ne legant, nisi de calculo et rationibus agatur; tunc enim adnotationes, quas secum attulerunt, poterunt consulere.

Can. 1784

Responsio redigenda est scripto ab actuario, et referre debet ipsa editi testimonii verba, saltem relate ad quae sita meritum causae directe attingentia. Vitentur sive relationes inutiliter diffusae, sive responsiones monosyllabicae.

Can. 1785

Actuarius in actis mentionem faciat de omnibus memoria dignis relate ad causam quae acciderint, cum testes exutiebantur.

Can. 1786

§ 1. In fine examinis testi legi debent quae actuarius de iis quae ipse vi-va voce testatus est, scripto rediget, data eidem testi facultate addendi, sup-primendi, corrigendi, variandi.

§ 2. Denique actui subscribere debent testis, iudex et notarius.

Can. 1787

Testes, quamvis iam excussi, poterunt, parte postulante aut ex officio, antequam acta seu testificationes publici iuris fiant, denuo ad examen vocari, si iudex id necessarium vel utile ducat, dummodo tamen omnis collusionis vel corruptelae absit periculum.

5) *De testimoniorum evulgatione eorumque reprobatione*

Can. 1788

§ 1. Si partes aut earum advocati vel procuratores examini non interfuerint, testimonia poterunt evulgari statim post absolutum omnium testium examen, vel quando alia quoque probationum genera absoluta fuerint.

§ 2. Praesentia partium vel earum advocatorum examini testis aequivalet evulgationi.

Can. 1789

Post testificationum evulgationem:

1º Cessat facultas reprobandi testis personam, nisi a parte demonstretur defectum testis antea sibi notum non fuisse;

2º Sed est ius excludendi testes sive quod attinet ad modum examinis, cui obiciuntur regulae iuris in examine peragendo neglectae, sive quod attinet ad testificationes ipsas, cum testimonia arguuntur de falso aut de variatione, contradictione, obscuritate, defectu scientiae et similibus.

Can. 1790

Exclusionem iudex decreto suo reiiciat, si eam futili inniti fundamento aut ad retardandum iudicium factam animadvertis. Alioquin rem expeditissime definiat.

Can. 1791

Post evulgatas testificationes, ad normam can. 1788, testes iam auditii denuo super iisdem articulis ne interrogentur, neque novi testes admittantur, nisi caute et ex gravi ratione in causis quae numquam transeunt in rem iudicatam; ex gravissima ratione in ceteris; et in quolibet casu omni fraudis et subornationis periculo remoto, altera parte audita, et requisito voto promotoris iustitiae vel defensoris vinculi, si hi iudicio intersint; quae omnia iudex decreto suo definiat.

6) *De indemnitate testium**Can. 1792*

§ 1. Testis ius habet ad petendam compensationem impensarum, quas sustinuerit ratione itineris et commorationis in loco iudicii, et ad congruam indemnitatem pro interruptione sui negotii vel operis.

§ 2. Iudicis erit, audita parte et teste, et attenta quoque praxi in foro civili vigente, taxare indemnitatem et expensas testi solvendas.

Can. 1793

Si intra peremptorium terminum a iudice praestitutum congrua pecuniae quantitas vel cautio ad normam can. 1909 § 2 ab eo qui testes inducere vult deposita non sit, is testium examini renuntiasse censeatur. Haec norma tamen non applicatur ei qui agnitus fuerit in totum impar expensis iudicialibus sustinendis, ad normam can. 1914, et in casu aliter provideri debet.

7) *De testimoniorum fide**Can. 1794*

In aestimandis testimentiis iudex, attentis principiis psychologiae iudicariae et requisitis, si opus sit, testimonialibus litteris, ante oculos habeat:

1° Quae condicio sit personae, quaeve honestas et an aliqua dignitate testis praefulgeat;

2° Utrum de scientia propria, praesertim de visu et auditu proprio testificetur, an de sua opinione, de fama, aut de auditu ab aliis;

3° Utrum testis constans sit et firmiter sibi cohaereat; an varius, incertus vel vacillans;

4° Denique utrum testimonii contestes habeat, an sit singularis.

Can. 1795

Si testes inter se discrepant, iudex perpendat utrum testimonia inter se aduersentur, an sint dumtaxat diversa vel mutuo adiuventur et compleantur.

Can. 1796

§ 1. Unius testis depositio plenam fidem non facit, nisi aliud iure ca-
veatur aut agatur de teste qualificato qui deponat de rebus ex officio gestis,
aut rerum et personarum adiuncta aliud suadeant.

§ 2. Si duae vel tres personae, omni exceptione maiores, sibi firmiter
cohaerentes, de aliqua re vel facto in iudicio testificantur de scientia pro-
pria, sufficiens probatio habetur; nisi in aliqua causa iudex ob maximam
negotii gravitatem, vel ob indicia quae aliquod dubium de veritate rei
assertae ingerunt, necessariam censeat pleniorem probationem.

